




KALENDARIA VETERA MSS.

ALIAQUE MONUMENTA

ECCLESIARUM APULIAE ET IAPYGIAE

EDIDIT NOTISQUE ILLUSTRAVIT

Giuseppe

~~IOSEPHUS~~ MARIA GIOVENE

CANONICUS ARCHIPRESB. CATH. ECCL. MELPHICTEN.

ACCEDUNT NOTAE ET OBSERVATIONES IN MISSALIA ET BREVIARIA MSS.
ITEM OPUSCULA ET DISSERTATIONES.

PARS I.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA VID. REALIS ET FILIOR.

CIƆIƆCCCXXVIII.

EXCELLENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

PHILIPPO IUDICE CARACCIOLO

MELPHICTENSIS ECCLESIAE EPISCOPO

Tua praesertim, qua maxime polles, auctoritas me impulit, immo et coegit, ut hanc adornare Spartam susciperem, ut huius, quam Tuo nomine Tuisque illustras virtutibus, Melphictensis Ecclesiae liturgicarum rerum veterum reliquias in manuscriptis Missali Ordine, et Breviario veluti sepultas ad vitam revocarem, iisque lucem aliquam adspergerem. Fuerat equidem illud mihi vel a iuventute mea in mente positum, et utinam id ea aetate perfecissem, qua et mentis et corporis vires suppetebant! Variis vero et multis Ecclesiasticis ministeriis, et gravibus distentus curis in id, quod cupiebam haud incumbere licuit. Accedebat etiam, quod illud obversabatur animo quod vulgo effertur, scilicet sine multa librorum supellectili vix aut ne

vix quidem libellulum unum scribi posse in hac praesertim, in qua versamur, studiorum luce. Sed cum Deus Optimus Maximus denique optata otia fecisset, cumque ea Tu suavitate, quam auctoritati miscere soles, ut manum operi admoverem, frequenter monuisses, continuo et effoetae propemodum senectutis meae, meique ingenii exiguitatis, et eorum omnium, quae a proposito deterrebant, oblitus, obtemperandum mihi esse duxi, confidens fore, ut auctoritati Tuae reverentia, et meae senectuti venia tribueretur. Neque vero satis iussis facere Tuis mihi visum, si in huius Melphictensis Ecclesiae Missale, et Breviarium unice incumberem; et ieiuna omnino tractatio mea fuisset, si me, ut ita dicam, intra civitatis nostrae muros includerem. Hinc antiquos Codices aliarum per Apuliam et Iapygiam Ecclesiarum inquirere, eosque ob oculos habere, et ex iis etiam aliqua excerpere, necessarium omnino intellexi, quo et pleniora essent, et utiliora, pluribusque etiam placitura, quae de antiquis liturgicis rebus nostris

dicerentur. Id porro a clarissimorum hominum, quos quam amicissimos habeo, humanitate, et benevolentia fuit praestitum mihi, unde factum ut alacrior impositum subirem onus. Ea vero spes, ut hic obiter dicam, animo insidet, fore ut vulgatis iis, quae ex nostris, quos vidimus, Codicibus excerpsimus Ecclesiasticis monumentis, plures alii et fortassis pretiosiores Codices, qui nunc in tenebris et pulvere iacent, ex nostrarum Ecclesiarum tabulariis in lucem prodeant, eosque eruditi viri, quibus hae nostrae abundant regiones, ampliori et penitiori eruditione ornandos, atque illustrandos suscipiant. Ita, quod vehementer opto, fiet, ut quod meo deest operi ab aliis deinceps suppleatur. Nunc vero, quod meum fuerit consilium, ut primam tantum operis mei partem primum ederem, candidus aperiam. Non equidem mihi in Provinciae umbra degenti mea scripta, eorumque singulas partes, ut maxime optassem, cum Eruditis in antiquitatibus Ecclesiasticis viris communicare, et ex illorum monitis, et animadversionibus cor-

rectionibusque proficere datum. Quod vero non licuit, prima vulgata parte fortasse licebit. Dabitur sic mihi ut quae in prima vel errata, vel non bene, aut non satis explicata sint, in secunda emendare, supplere, sententias quoque mutare, quin etiam et alia addere facillime possim. Te nunc vero qui Gentis Tuae fumosis insignis imaginibus nomine praeclarissimo fulges, et virtutibus quoque omnibus ad admirationem ubique splendes, enixis oro precibus, ut in hoc meo Tuum potius respicias opus, et hoc auctoritate et nomine Tuo cooperias. Temeritatis utique fortasse arguar quod in Provinciae delitescens umbra, et sine maximarum Bibliothecarum adiumento in opus incubuerim, quod certe supra vires meas esset, et tum maxime cum frigescente iam aetate quiescere oporteret. Erit vero tempus cum Adolescentes, et Seminarii Tui potissimum Alumni, qui in spem Melphictensis Ecclesiae succrescunt, Tua cura, Tua sollicitudine, Tuoque, quo ardes, zelo, Ecclesiasticis et liturgicis studiis instructi, ampliora, et

pleniora dabunt. Haec haeret animo spes meo, et in hac ipsa gaudeo. Te vero, Antistes Amplissime, in longum Deus sospitet aevum: Te diutius Melphictensi Ecclesiae, cuius decus es, et ornamentum, servet. Id omnes optant: id effusis ad Deum precibus impetrare nituntur, ego vero quam ardentissime, quippe qui vere sim totisque animi mei sensibus

EXCELLENTISSIMO NOMINI TUO

Melphicti Kal. Iun. *MDCCCXXVIII.*

Addictissimus, et obsequentissimus
JOSEPHUS MARIA GIOVENE

IN AGIOGRAPHA

QUAE EDUNTUR COMMENTARIUS PRAEVIUS

Si qui forte erunt, quibus operam nos lusisse videamur, quod Ecclesiarum per Peucetiam, Apuliam, et Calabriam, sive Iapygiam vetera kalendaria munuscripta edere, eaque notis et observationibus illustrare susceperimus, illos quam maxime rogatos volumus, ut iudicium parumper efformare differant, donec, quod ad defensionem nostram, nostrique laboris facere utcumque poterit, aperiamus. Dolebamus equidem, quod cum tanta, et pene innumera typis edita ecclesiastica kalendaria, et Italica maxime essent, nulla omnino, quoad nos sciamus, reperiantur quae ad Apuliae, et Iapygiae Ecclesias quovis modo pertineant, ni forte excipere placeat kalendarium Lyciense Breviario illius illustris Ecclesiae adnexo, quod Venetiis anno MDXXVI in lucem prodiit. Hae porro Regiones illustres quondam fuerunt, illustresque per eas civitates et Ecclesiae, ita ut vix, aut ne vix dubitari possit quin vel a primis Christianae Religionis saeculis Episcopi in iis multi fuerint, quamvis falso scriptores aliqui, sequioribus saeculis et ex Constantinopolitanorum Patriarcharum ambitione, sive etiam ex Romanorum Pontificum politicis rationibus Episcopatuum multitudinem, quam dicunt, inductam fuisse adfirmarint. Cum vero Regiones istac suburbicariae essent et ad Romanum Pontificem speciatim pertinerent, nec alium, nisi illum Metropolitanum haberent, aliquae tamen a Constantinopolitano usurpatae fuerunt, aliae Graecos inter et Romanos fluctuare vel claudicare visae, quo magis earum historia pretiosior.

Nec vero haec memoramus, ut desidiae, et negligentiae maiores nostros primum, tum et recentiores scriptores accusare nostro sedeat animo, quasi qui monumenta Ecclesiarum dissipaverint, vel saltem conservare neglexerint. Scimus equidem quam plura Mss. Graeca, et Latina his nostris e regionibus, *numquam forsan reditura*, migrasse, et Neapolim praesertim translata, testante id in primis nunquam satis laudando viro Alexio Mazochio, qui et aliqua se vidisse adfirmat. = *Atqui scimus* (sic ille de Cath. Eccl. Neapolit. etc. pag. 194) *tamen in Apulia, in Calabria vetere, et in extremo Brutiorum angulo, etiam nunc, plurima eiusmodi monumenta scilicet Graeca, et in iis reperiri Ecclesiis, quas Graeci sibi aliquando arrogarunt, cuius generis membranas plurimas inde Neapolim evectas egomet aliquando vidi* = Ea enim misera Provinciarum conditio est, ut pretiosa quaeque ad omne antiquitatis genus pertinentia alibi, et extra etiam Regni limites abeant. Illud etiam accessit, quod cum aliquibus in locis et Latini, et Graeci Ritus Clerici essent, cumque inter illos partium studia exardescerent, inde factum, ut Graeci Latinos Codices, Latini Graecos pessumdarent. Quibus ex rebus illud consequi videtur, quaecumque vetera nostrarum Ecclesiarum monumenta, in tanta manuscriptorum apud nos raritate, quamplurimi habenda esse. Utcumque tamen res sit, in eam facile descendimus spem, fore aliquando, ut eruditi viri, quibus hae nostrae abundant regiones, Ecclesiarum, necnon et privatorum Tabulas perquirant; atque inde fiet, ut pretiosiora, quae nunc in pulvere delitescunt, monumenta, aliquando in lucem prodeant.

Et ut propius ad rem nostram accedamus, nemo certe erit, qui inanem operam navasse dixerit Illustres Viros, uti exempli gratia, *Lambecium*, *Gothofredum*, *Petavium*, *Graevium*, aliosque insignes viros, qui veterum Romanorum paganica kalendaria, vel ex manuscriptis publici iuris fecerunt, vel etiam ex veterum scriptis compilarunt. Sane ex his kalendariis, qui dies fasti, qui nefasti, qui boni, qui mali ominis dies; tum quae festa per dies stativa, quae spectacula, qui ludi, et ce-

tera huiusmodi discimus, ita ut kalendariorum ope ad illorum tempora quasi advehi videamur, et in Urbe, et per eius Plateas, Templa, Theatra, Fora versari.

Eadem quoque, et ampliora fortasse de kalendariis Ecclesiasticis dicenda essent. Scilicet amplissima nomina sunt *Bucherii*, *Frontonis*, *Florentinii*, *Martenii*, *Mazochii*, *Muratorii*, *Georgii*, *Morcellii*, *Rosweidi*, *Zachariae*, et hi omnes, aliique, quorum nomina longum esset recensere, kalendaria Ecclesiarum ediderunt, eaque notis etiam adornarunt; nec quis eos vanam lusisse operam existimavit, quin potius, quotquot eruditi fuerunt, eorum studiis plaudere non cessarunt. Nec illud obiiciendum forte erit, plura quae a doctis viris edita sunt kalendaria mirae, vel saltem multae antiquitatis esse, eaque tertium, quintum, octavum, nonum Ecclesiae saeculum attingere eoque titulo quantivis pretii esse, cum nostra ad XIV, vel etiam XV saeculum pertineant. Non vero omnia quae vulgata ab iis kalendaria eiusdem antiquitatis esse dignoscuntur, quin etiam et multa sunt nostris Appulis recentiora: et ut aliqua exempli caussa hic adducamus, kalendarium, quod doctissimus Lucas Dacherius ex Corbeiensi Codice vulgavit, ipsemet circa annum MCCCXXVI scriptum testatur. Kalendarium quoque Mediolanense a Cl. Georgio editum ad finem saeculi XV, ut et Vallombrosanum a Zacharia, et Bononiense, et Aquileense a Friderico Althano editum ad XIV saeculum omnino pertinere noscuntur. Haud vero praeclarissimorum virorum nomina, quorum meminimus, et ab iis edita kalendaria attulimus, quasi nos vel a longe cum ipsis comparari posse audeamus, vel kalendaria illa omnia cum nostris aliquo modo aequiparari posse putemus. Non stadiis, sed milliaribus quamplurimis nos ab iis distare, vel libenter fatemur. Et monumenta quoque ab iis vulgata longe nostris nobiliora sunt, et praestantiora; nec nostro de thesauro nos, ut doctissimi illi, vetera, et nova, nostris in notis, et observationibus proferre unquam poterimus. Sed licet quandoque parva componere magnis, quo horum umbra illa protegantur.

*

Non autem omnino verum est parva admodum, vel etiam nullius utilitatis Ecclesiastica kalendaria esse, nec nisi curiositati tantum deservire posse. Sic vero statuimus, ut doctissimi viri existimarunt, illa rerum liturgicarum historiam exprimere, quam certe noscere non tantum utile, sed et necessarium ecclesiasticis maxime hominibus, nemo sanae mentis inficiabitur: ex illis enim, qui Ecclesiarum status, tempore quo scripta fuerunt, qui festi dies, quorum Sanctorum memoriae, sive celebritates et fortasse etiam qui ritus sacri, et alia huiusmodi ad Religionis sanctae cultum pertinentia, optime demonstrantur, ita ut quodam modo ut de Romanorum kalendariis diximus, ad ea tempora, quibus illa sunt, exarata, penitus translati videamur. Accedit etiam, quod ex iis non tantum ecclesiasticae res indicentur, sed etiam quae animorum ingeniorumque cultura, qui sensus, qui mores, quae institutiones olim fuerint. In aliquibus quoque et medica praecepta inveniuntur, cautionesque ad valetudinem servandam, diesque fausti, aut infausti ex hominum opinione, tum et regulae ad Paschalem calculum, ut aiunt, aptae, qui quanti fuerit in antiqua ecclesia momenti, ii quoque, qui ecclesiasticam historiam vel summis gustarunt labiis, sciunt; et cuius studium Clericorum Seminariis maxime commendavit Tridentinum Concilium.

Denique, si quae edimus kalendaria, invicem inter se, et cum aliis iam antea vulgatis conferantur, plurimam nostris ecclesiis lucem accedere facile intelligemus. Et ut aliqua gratia exempli hic afferamus, equidem ex collatione kalendariorum Lyciensis et Brundisini cum Melphictensibus, Rubastino, et Canusino, protinus inter se dissimilia invenientur. Illa enim Sanctorum nominibus scatent, ita ut nulla propemodum dies sit, cui Sancti alicuius non adscriptum nomen, haec vero contineant quam paucissima, unde et Kalendario Romano illi similia, quod B. Cardinalis Thomasius vulgavit. Quis vero non continuo discrimen illud ex eo proficisci intelliget, quod Ecclesiae illae Graecanicae quondam, Graecitatem quandam posterioribus etiam saeculis servarint, Peucetiae vero nostrae Romanis Ritibus, et Romanae Cathedrae semper adhaeserint. Plures

etiam, qui apud Graecos colebantur Sancti in kalendariis illis leguntur, contra vero in nostris.

Quod si quis paullo attentius Peucetiae Kalendaria considerare velit, admirabitur fortasse, quid illud sit, quod plures in Apulia clari nominis Sancti omissi reperiantur, multi contra media ex Italia et ex ultima etiam, ut in Canusino veluti advenae, in civitatem recepti legantur. Media ex Italia equidem sunt Constantius Perusiae, Cerbonius Populoniae; Herculanus pariter Perusiae, Severus Ravennae, Vincentius Mevaniae, Fulgentius Utriculi, Geminianus Mutinae, Syrus Papiae, omnes Episcopi; tum et Benignus Mevaniae, Firminus, et Olympiades Ameriae martyres; et denique Sophia Virgo Firmi in Piceno. Ex superiori vero Italia Prosdocimus et Iustinus Patavii, Omobonus Cremonae, Maximus Veronae, Episcopi; necnon Alexander Martyr Bergomi, Euphemia, Dorothea et Erasmus; et denique Ermacoras, et Fortunatus Aquileiae martyres omnes: et hi postremi in Canusino rubris characteribus adscripti. Nec praetermittendus Fortunatus Tuderti Episcopus, qui quamvis in Rom. Mart. ad diem 14 Octobris adscribatur, in kalendario tamen Rubastino eius nomen pridie Kal. Iul. scribitur, eo scilicet die, quo Tuderti maxime eius celebrata memoria ob liberatam a Gothis Civitatem, ut ex Emin. Baronii notis in Mart. Rom. colligere licet. Quibus ex rebus illud nostra sententia probari videtur, tum cum superioris Italiae loca Eruli primum, postea Gothi, et Longobardi demum vastarunt, plurimos ex illarum Regionum incolis meridiem versus migrasse, et nostras in has Regiones asylum sibi quaesisse, ac proinde Sanctorum illorum, quorum apud ipsos peculiaris, eximiusque cultus erat, hunc quoque apud nos invexisse. Ceterum, ne nuda kalendaria Lectoribus fastidium facerent, ea notis et illustrationibus, tum et amplioribus commentatiunculis augebimus, quarum aliqua in I huius operis parte dabimus, aliis in II reservatis. Operae etiam pretium duximus aliqua vetera monumenta addere, et excerpta quoque et Mss. Missalibus, et Breviariis vulgare, ut ex varietate ipsa saltem voluptas quaedam lectoribus veniat.

Nunc vero, ut ad propositum magis accedamus, qui codices, et cuius aetatis sint, ex quibus kalendaria, aliaque excerpsimus, praenotare placet, ut quasi cognita caussa, lectores judicium ferre possint. Et primum de *Ordine Missali* dicendum, quod in Archivo R.mi Capituli Cathedralis Ecclesiae Melphictensis servatur. Membranaceus hic est, grandioris formae, satis concinne, et distincte scriptus, litteris, qua nigris, qua rubris, necnon et picturis aliquot, pro saeculi ingenio elegantibus ornatus; quibus de rebus ut et de ceteris, quae notatione digna videbuntur, plenius, Deo favente, in II huius operis parte agemus. Is ita rubris litteris inscribitur = *In nomine Christi amen. Incipit Ordo Missalis secundum consuetudinem romane Curie ad laudem Dei omnipotentis totiusque celestis curie triumphantis. Amen. Per totum annum non precipit nisi tres orationes excepto quando non posset vitari* = Nunc de aetate eius videndum. Equidem litterarum formae, et scribendi ratio quoque satis indicant saeculo *XIV* exaratum fuisse. Ut ne vero in incertum praedicti saeculi tempus vagemur, aliqua adferemus, quae pressius aetatem indicent.

Et primum quidem nulla in Kalendario Missali praefixo, et nulla quoque in Missali ipso *Visitationis B. Mariae Virginis* mentio habetur. Quamvis vero a Basileensi Concilio anno *MCCCCXII* praeceptum fuerit, ut hoc festum ab universa celebraretur Ecclesia; abunde tamen constat, ut et doctissimus, immortalisque memoriae Pontifex Benedictus *XIV* (de Festis B. V.) quam amplissime disserit, festum istud ab Urbano *VI* vere institutum fuisse, et quidem ad impetrandam Beatissimae Virginis intercessione diri schismatis cessationem, quod tum maxime Christi Ecclesiam vexabat. Cum vero Urbano Bullam ubique publicam faciendi tempus non superfuerit, id praestitum a Bonifacio *IX* anno *MCCCLXXXIX* fuit. Sane in Lectionibus nocturnis, quae habentur in nostro Mss. Breviario, et in Breviario quoque Lyciensis Ecclesiae, de quibus inferius, Urbano Festi huius institutio tribuitur, immo, et ipsius Pontificis Bulla in nocturnis legitur. Quibus ex rebus demonstra-

ri videtur ante annum *MCCCLXXXIX* hunc ordinem Missalem nostrum fuisse scriptum. Hic tantum addere iuvabit festum hoc Fratres Minores vel ab anno *MCCLXIII* celebrasse, ut Gavantus *Ad Rubr. Brev. Rom.* Sect. 7. Cap. 9. observavit. (1)

Nulla etiam mentio legitur *Praesentationis* sive *Oblationis* eiusdem SS. Virginis; nam quae in kalendario legitur die *XXI* novembris admodum recentioris est manus. Quamvis vero apud Graecos multo antea festum hoc invaluerit, ut maxime ex celebri Emmanuelis Imperatoris Constitutione, qui ex anno *MCXLIII* regnavit, patet; ad Occidentalem tamen Ecclesiam non introductum fuit nisi a Gregorio *XI* anno MCCCLXXIV. Qua ex re existimare etiam licebit ante annum praedictum Missalem Ordinem nostrum fuisse scriptum.

Contra vero, cum kalendario missalis eiusdem ad diem *XIV* kal. Iunii *S. Petri Murronis* seu *Caelestini V.* legatur nomen; cumque notum sit a Clemente *V* illum inter Sanctos relatum anno *MCCCXIII,*

---

(1) Legitur equidem in nostro Missali Missa *In Visitatione B. Virginis Marie*, sed in folio quodam Missali adiuncto, et alia recentiorique manu exarata. *Introitus*, *Gaudeamus* etc. *Orat. Omnipotens sempiterne Deus qui ex abundantia caritatis B. Mariam tuo filio impregnatam ad salutacionem helysabeth inspirasti presta quesumus ut per eius venerabilem visitationem donis celestibus repleamur, et ab omnibus adversitatibus eruamur. Per. Lect. Lib. Sap. Ecce iste venit saliens* etc. Grad. *Benedicta et venerabilis* etc. Ver. *Virgo Dei genitrix* etc. *Alleluia.* Ver. *In Maria benignitas per secula commendatur dum visitat helysabeth ut subdita presentatur.* Secr. *Deus qui presentem Festivitatem in Christi filii tui matris et virginis eius laudibus venerari fecisti presta quesumus ut qui eiusdem virginis humilitatem, et gaudiorum quibus helysabeth visitavit sollempnia celebramus et in eorum memoria, et gaudiis maneamus* = Postcom. *Deus qui in visitatione letabunda virginis Marie Iesu Christi filii tui* (sic) *nove laudis preconiis magnificari voluisti, eius meritis, et precibus talem nobis quesumus tue visitationis gratiam tribue, quatinus nunc et semper te magnificare mereamur.* Per etc. Ceterum Visitationis B. V. ex Canusino Breviario pervetustum Officium dabimus infra.

certe post hunc annum Codicem nostrum fuisse exaratum, dicendum erit. Haud porro praetereundum nullam omnino in Missali ipso Sancti huius memoriam legi, adeo ut coniicere licebit statim post eiusdem Canonizationem nomen adscriptum in kalendario fuisse, maxime quod post Pontificatus abdicationem Sanctus variis in Apuliae locis versatus sit, ita ut et pueris notum, et quam celebre illius fuerit nomen, ut ex eius Actis abunde patet. Ex iis autem, quae hucusque dicta sunt, pro comperto haberi poterit, Missalem nostrum circa medietatem saeculi XIV scriptum fuisse, et aetatem *quingentorum* annorum ferme prae se ferre.

Nunc ad quam potissimum pertinuerit Ecclesiam Ordo iste Missalis, inquirendum. Haud vero dubitare nobis licebit, ad Melphictensem pertinuisse Ecclesiam, et ad eiusdem usum exaratum. Id plura suadent argumenta luce, ut opinamur, clariora. Et primum quidem ad diem *IX* Feb. In kalendario, *S. Conradi* praecipui Melphicti Patroni non adscriptum tantummodo, sed minio etiam illitis litteris, nomen legitur. Nec tantum in kalendario nomen, sed et in Missali ipso propria legitur Missa cum Introitu *Gaudeamus omnes* etc., et Orationes tres aeque propriae, quae hucusque in Melphictensi Ecclesia recitantur. De hoc *S. Conrado* Commentarium Historicum dabimus. Alterum argumentum erit quod ad *VI* kal. Iulii post Ss. *Ioannis et Paulli nomina* adnotatur rubris litteris: *Et dedicatio S. Marie de Martyribus* = quae verba non utique ad Dedicationem *S. Mariae ad Martyres*, quae Romae celebratur, et in Mart. Rom. ad diem XIII Maii adscribitur, referenda sunt, sed ad vetustam et olim celeberrimam Ecclesiam prope Melphictum adplicanda sunt. De huius Ecclesiae origine et nomine Commentatiunculam etiam dabimus.

Non diffitemur vero valde nos primum dubitasse, an Missalis noster ad Fratres Minores, qui vel ab aetate S. Francisci in Suburbio Melphicti habitabant, potius pertinuisset, cum multa essent in illo *Rubricarum* capita, quae id suadere videbantur. Et primo quidem S. Francisci ad diem *IV* Octobris litteris minio infectis nomen legitur, et cum

Octava; necnon et ad diem *VIII* kal. Iun. eiusdem Sancti translatio notatur. Pluries etiam nomen *Fratrum* in Rubricis legebamus, et in illa praesertim quae habetur die XXVI Aprilis, ubi sic legitur = *Officium misse de Letaniis ante Vigiliam Ascensionis positum fiat eo tempore quo fit in terris in quibus fratres habitant.* In rubrica quoque Sabbati S. aperta mentio est *Claustri* sane *Fratrum.* Illud tamen veniebat in mentem antiquis in Codicibus *fratres* etiam nuncupari Canonicos, sive ministros cuiuscumque ecclesiae, ut etiam et *fratres* appellari Cardinales ipsos S. Romanae Ecclesiae. Sed cum easdem rubricas, et vocem *fratres* in omnibus, quos legimus, manuscriptis missalibus Apuliae legissemus, et in Mss. etiam maximae formae membranaceis ecclesiastici cantus, quibus a se Melphictensem Ecclesiam donari voluit Ioannes Baptista Cibo eius Episcopus, et Cardinalis, deinde Innocentius VIII, continuo in hoc acquievimus, nostrorum Codicum Scriptores scilicet ex libris Fratrum Minorum, qui pene soli ecclesiasticos ritus, caeremoniasque callere ea aetate putabantur, rubricas exscripsisse ita, ut in illis iacebant. Simul etiam et illud venit in mentem, quod *Radulphus* Tungrensis Decanus ait, a tempore scilicet Nicolai III, qui sub finem saeculi XIII Pontificatum gessit, omnes libros liturgicos *novos fuisse et Franciscanos.* Haec quae de Rubricis, et *Fratrum* voce hucusque diximus de aliis Missalibus, sive Breviariis, de quibus infra, dicta etiam intelligantur.

Missalis alter Ordo, quem ob oculos habuisse ex humanitate, et benevolentia perinsignis Ecclesiae Canusinae Dignitatum, et Canonicorum datum fuit, ad usum praedictae Ecclesiae, et quidem ut plura sua dent argumenta, quae brevitatis caussa omittimus, ad finem vergente saeculo XIV, videtur scriptus; titulum habet huiusmodi = *Incipit Ordo missalis secundum consuetudinem Romane Curie.* In fine vero haec leguntur. = *Hic est finis missalis. X.^{to} finito libro sit laus et gloria. Qui scripsit scripta sua dextra sit benedicta. Deo gratias.* Ex hoc Missali Kalendarium Canusinum damus, tum et propriam pervetustam Missam S.

Sabini celeberrimi eiusdem Ecclesiae Episcopi. Nec tantum de quo hactenus, sed et alterum ordinem missalem a Canusinis Canonicis membranaceum commodatum accepimus; qui sic inscribitur = *Incipit Ordo missalis fratrum minorum secundum consuetudinem romane Curie.* Vides prudens lector de hoc missali speciatim dici *fratrum minorum*, ad distinctionem aliorum, in quibus haec deest adnotatio. Non vero generatim ad usum fratrum minorum scriptum esse existimamus, sed eorum qui Canusii degebant. In isto enim ordine, et peculiaris missa S. Sabini, de qua supra, legitur, et ad VII Id. Septemb. in praefixo kalendario adnotatur = *Consecratio Ecclesie S. Sabini patris nostri.*

Nec Missalia tantum hucusque recensita legere nobis datum, sed etiam alia minoris formae, diceres quasi *missalia compendiata*, ut plerumque ad manus habenda, unde et *manualia* inscribuntur. De his pauca. Et unum quidem a Rubastinae Ecclesiae praeclarissimis Canonicis, amicitiae, et singularis benevolentiae caussa commodatum habuimus. Hunc in fronte habet titulum = *Ordo manualis secundum consuetudinem romane Curie* = Missae habentur *de tempore*, deinde *proprium*, ut aiunt, Sanctorum, non omnium qui in maioribus missalibus leguntur, sed aliquorum tantum, hac praefixa inscriptione = *Incipit proprium manual.... Sanctorum.* Denique qua parte continetur *Commune* Sanctorum, hoc inscribitur titulo = *Incipit comune Sanctorum de manuali.* Ex hoc Mss. membranaceo codice, quem initio saeculi XIV scriptum putamus Kalendarium, necnon et *Ordinem ad ponderandum masculum vel feminam* exscripsimus.

Nec tantum Rubastina Ecclesia, sed et Canusina duo alia suppeditavit Missalia *Manualia* minoris formae. Eamdem habent inscriptionem, et aliquas tantum de *Tempore* habent missas, ut et aliquas quoque Sanctorum proprias, necnon et communes fere omnes continent. Adduntur praeterea alia quaedam quae ad hodierna, quae appellantur *Ritualia*, pertinere viderentur. Ea, quae membranacea etiam sunt, initio saeculi XV

exarata existimamus, et ad dictam Canusinam Ecclesiam spectasse. Horum ab altero *Ordinem ad Catechumenum faciendum* necnon et = *Benedictionem sponsi, et sponse* exscripta dabimus.

Haec vero, quae *manualia* adhuc descripsimus novam hanc vocabuli acceptionem inducere videntur. Nec enim Fratres Macrii in *Hierolexico*, nec Cl. Cangius in Glossario illam agnoscunt. Et illi quidem Graeco Ἐγχειρίδιον vocem hanc plane respondere dicunt, et S. Augustini testimonio utuntur, qui ex eo *manuale* dictum putavit quod *manibus posset adstringi, et armaria non onerare*, optime quidem si vocis origo, et generalis illius acceptio definiatur. Affirmant deinceps de Theologiae aliquo compendio, vel de libellis preces, et pia exercitia continentibus etiam dici. Quae multa vero congessit Cangius eo ducunt, ut *manuale*, sive *manualis* (In uno Canusino legitur = *Incipit manualem*) liber ille esset, qui nunc *Rituale* dicitur, in quo continebantur *Ordines servitii extremae unctionis, Catechismi, Baptismatis, vel etiam orationes, passiones, Ordines, preces, et horae.* Nostra autem quae dicuntur manualia prorsus parva Missalia sunt prae manibus ad aliquas Missas tantum, non omnes, legendas habenda. Sed haec hactenus. Nunc ad Mss.a Breviaria deveniamus.

Et primum de Breviario Canusino. Magni voluminis istud est, et maioris formae, tum et nitide scriptum. Illud dolet quod aliqua membranae folia non satis fortasse ab initio perpolita atramentum non plene susceperint, et inde aliqua et non pauca vix, aut ne vix legi possint, nec etiam adhibita, ut fieri solet, gallarum infusione. Titulus hic est = *In Christi nomine et sue gloriosissime matris incipit psalterium secundum consuetudinem romane Ecclesie.* Ne vero solliciti simus de huius Breviarii aetate, in fine manifeste legitur, quo anno, et a quo scriptum fuerit. Sic enim habetur = *Explicit Breviarium . . . . incepit, et complevit frater Petrus a Brundusio in loco Canusii Cappellanus excellentissimi comitis Alexandri de Ursinis* anno MCCCC . . . . = Cum vero

notum sit vel ex Cl. Laurentio Iustiniano (1) anno *MCCCCLVII* a Rege nostro Alphonso Alexandrum de Ursinis Canusii Comitem nunciatum fuisse, satis inde liquet post medietatem *XV* saeculi Breviarium illud fuisse exaratum. Quamvis vero a franciscano homine scriptum, ad usum tamen Ecclesiae Canusinae factum haud dubitandum existimamus. In kalendario enim illi praefixo, et quod cum aliis edimus, *V* Id. Feb. characteribus minio illitis scribitur *S. Sabini Archiepiscopi Canusini Confessoris. Duplex maius.* In ipso quoque Breviario eadem die *Officium proprium* legitur S. Sabini cum Antiphonis, Hymno, Lectionibus, et Responsoriis propriis, quae omnia damus; id quod non ingratum lectoribus futurum esse putamus, cum huiusmodi officium in desuetudinem abierit etiam in Ecclesia ipsa Canusina. Illud tamen observatione dignum erit, quod ad illustrationem etiam eorum quae de Melphictensi Breviario, et de Psalterio Rubastino dicenda sunt maxime conferet, scilicet in Canusino Psalterium haberi *Vulgatae Editionis*, vel ut olim etiam dici solebat *Gallicanae*, longiores quoque esse Lectiones iis fortasse, quae hodie habentur, nec omnino de *Pater*, *Ave*, *et Credo* ante nocturnum officium vel *Pater*, et *Ave* ante alias horas, nec post Completorium, *Antiphonarum* quae hodie dicuntur, mentionem fieri. Quae omnia cum ita sint, merito Breviarium illud non *secundum consuetudinem Romane Curie* sed *Romane Eclesie* inscriptum.

Nunc ad Mss.Breviarium gradum faciamus quod *Melphictense* dicimus in Archivo Capituli Cathedralis Melphictensis Ecclesiae servatum, quod toto caelo a Canusino differt. Fatebimur revera primo intuitu dubitasse aliquandiu, an ad Melphictensem Ecclesiam illud quondam pertinuerit, cum in kalendario illi affixo, quod nomine *kalendarii Melphictensis* II edimus, nulla *S. Conradi* Melphicti Patroni mentio habeatur. Contra vero cum in ipso *S. Nicolai Peregrini* Tranensis Patroni ad diem II Iulii, et SS.

---

(1) Dizion. Geografico del Regno di Napoli = Canosa =

Martyrum Vigiliensium *Mauri Pontificis*, *Sergii*, et *Pantaleonis* ad diem XXX Iulii scripta nomina legissemus, non utique dubitandum erat, quin ad aliquam ex Peucetiae Ecclesiis pertinuerit. Cum vero in SS. Litaniis, quae in officio Sabbati S. nomen S. Conradi inter Confessores legissemus, non ultra licuit extra Melphictum vagari ad Ecclesiam inveniendam, cuius in usum fuerit Breviarium, de quo agimus. Minimae est formae, et satis dilucide scriptum. Quod vero ad aetatem eius attinet, nullus dubitandi erit locus, quin post medietatem saeculi XV fuerit exaratum. In kalendario enim, ut et in Litaniis *S. Belardini*, idest *S. Bernardini Senensis* nomen inseritur, qui anno *MCCCCL* a Nicolao V in Ss. Canonem relatus fuit. Sequenti autem anno, scilicet *MCCCCLI* publicis sumtibus eiusdem Sancti caepta aedificari Ecclesia Fratrum Minorum *de observantia* dictorum in Melphicti suburbio, testante Wadingo et aliis apud Lombardum.

In plures Breviarium hoc distributum est partes; et prima hunc habet titulum = *In Christi nomine incipit psalterium secundum ritum s. romanae ecclesie ad laudem et gloriam dei patris omnipotentis et filii et spiritus sancti.* Pars vero secunda inscribitur = *Incipit ymnarium.* Tertia: *Incipit breviarium secundum consuetudinem romane curie.* Quarta: *Incipiunt festivitates sanctorum per anni circulum.* Ultima denique: *In nomine domini amen incipit Commune sanctorum.* In fine vero sequentia maioribus litteris scripta leguntur = *Finito libro sit laus et honor gloria christo amen. Qui scripsit scribat semper cum domino vivat. Vivat in celis. Subdiaconus Iacobus vir fidelis. Amen.* Quis hic fuerit *subdiaconus*, prorsus ignoratur. Quod si de *Minorum* familia fuisset, procul dubio id subiunxisset. Supra praenotavimus Canusinum Breviarium *secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae* inscribi, nostrum contra *secundum consuetudinem romane curie.* Id plane declarat aliquod inter illa discrimen fuisse. Doctissimus, et numquam satis laudandus Cardinalis Bona de Officiis Romae diversis, et de immutationibus in iis a Fratribus Minoribus inductis, quam erudite more suo agens haec

dixit = *Quae autem fuerit haec diversitas, et quando coeperint aliae Ecclesiae* (Romae) *a Lateranensi discrepare, nec Petrus Abaelardus* (scilicet in Epistola Apologetica ad S. Bernardum scripta) *dicit nec alibi memini me legisse* = Deinde praeeunte Radulpho Tungrensi Decano in libro *de Canonum Observantia* subiungit = *Duplicem olim in Urbe fuisse modum divini Officii, unum breviorem, quo Romana Curia, sive Cappella Pontificia, utebatur, alterum prolixiorem pro ceteris Ecclesiis Urbis, qui proprie Ritus Romanus dicebatur. Atque hinc ortum est discrimen in antiquis Codicibus saepe occurrens Officiorum ad usum Curiae et ad usum Ecclesiae Romanae* = Et post aliqua = *Quae fuerit utriusque differentia incertum est* = Hoc nostrum igitur Melphictense Breviarium ex illo desumtum, quo Cappella Pontificis utebatur, Canusinum vero ex eo quo ceterae Urbis Ecclesiae. Quae vero inter utrumque differentia? Nulla sane nisi quod, quae in nocturnis horis Lectiones dicuntur, in Canusino prolixiores sunt, in Melphictensi vero quam brevissimae, ita ut *Lectionibus* illis *Brevibus*, quae post Primam hodie leguntur, paene aequales sint. Versio etiam psalmorum diversa est, sed hac de re infra dicemus. An vero libera fuerit quondam Peucetiae nostrae saltem Ecclesiis facultas unum aut alterum Breviarium sibi adoptare? Id porro videtur. Hic etiam admonere supervacaneum haud erit in Codice perillustris Rubastinae Ecclesiae ante quingentos annos scripto quae pro nocturnis horis Lectiones habentur ab Adventu ad Pascha, non decurtatas legi, sed quandoque iis etiam, quae hodie leguntur longiores.

Diximus variam psalmorum lectionem, sive Editionem in utroque Breviario legi. Equidem in Canusino, quae olim *Gallicana* dicebatur *Editio* legitur; in Melphictensi vero fere supparis cum primo aetatis *Romana*, quae dicebatur in plurimis fere eadem, ac antiquissima *Italica*. Nec tantum in nostro Melphictensi Breviario haec legitur Editio, sed etiam in Mss. Rubastinae Ecclesiae Psalterio, quod ineunte saeculo XIV exaratum, amicitiae et benevolentiae caussa a Dignitatibus et Canonicis illius Ecclesiae commodatum habuimus, Romana quoque legitur versio.

Canusino contra conforme in Psalmorum Editione Brundusinum Breviarium, monente amicissimo viro illius Ecclesiae Archidiacono *Thoma Cinosa*, necnon et Breviarium Lyciense est. Qui versionis utriusque historiam, earumque variis in Ecclesiis usum scire voluerit, legat prae ceteris *Grancolasium in Comm.º Historico in Breviar. Rom.*, et *B. Ioseplum Thomasium Cardinalem* qui Tom. II. Opp. Edit. P. *Vezzosii* duplex edidit Psalterium *Gallicanum* scilicet et *Romanum*, cui postremo Psalteria nostra, si variantes aliquas excipias, plane sunt conformia. Utrumque Claris. Vezzosius selectis adnotationibus auxit. Legendus quoque *Eminentissimus Bona* Rer. Liturg. Lib. II Cap. III, eiusque doctissimus Adnotator *D. Robertus Sala*. Ex iis autem, quae dicta sunt, illud consequi videtur, non omnino ad omnes passim Italiae, sive etiam harum Regionum Ecclesias extendendum esse quod Eminentissimus Bona coniecit post *XI* saeculum antiquam illam Romanam Psalmorum versionem obsolevisse, cum exemplaria nostra fidem faciant toto etiam *XV* saeculo in Melphictensi et Rubastina saltem Ecclesiis, usitatam fuisse, id quod maximam praedictarum Ecclesiarum erga Romanam Ecclesiam, tenacemque devotionem indicare videntur, cum ea antiqua Versione omnes Urbis Ecclesiae utebantur, usque ad S. Pium V, qui ad solam Vaticanam Basilicam pertinere iussit. Quod si Canusinum Breviarium Vulgatam habeat Psalmorum Editionem, ex hoc illud fuit, quod a Franciscani Ordinis homine scriptum. Notum enim est *S. Franciscum* suis praecepisse alumnis *ut divina iuxta Romanae Ecclesiae Ritum peragerent excepto Psalterio*. Ex quo viri doctissimi inferre haud dubitarunt, S. Francisci aetate per Italiae mediae et inferioris Ecclesias, aut certe in Umbria, vetus Psalterium obsolevisse. Nos non ingratam rem facturos arbitramur eruditis viris, specimina aliqua versionis, quae in nostris est Codicibus cum variantibus ex *Thomasio*, et *Vezzosio* vulgando in II huius operis Parte.

Nunc pauca alia praemonenda de kalendario perillustris Brundusiiae, cuius exemplum a praeclaro viro nobisque amicissimo Archidiacono *Thoma Cinosa* accepimus, et quod nunc primum edimus.

Extat istud, ut de more, in fronte Mss. Membranacei Breviarii ad usum praedictae Ecclesiae, quod exeunte *XIV* saeculo exaratum fuisse iudicavit doctissimus Archiepiscopus *Hannibal de Leo*, quem Ecclesiae, Patriae, nostraeque erga ipsum devotioni ereptum adhuc lugemus. Hoc in kalendario, ut legenti patebit, nulla prorsus est dies, quae nomine Sancti alicuius careat. Discrepare hinc videtur a kalendario Romanae Ecclesiae et a nostris etiam Peucetiis; et kalendariis Graecis, Neapolitanis, et Lyciensi, de quo mox, assimilari. An hoc forte Graecitatem aliquam in Iapygia residuam olere dicendum? Videant docti.

Non absimile, ut praenotavimus, kalendarium est insignis Ecclesiae Lyciensis, quippe Sanctorum, et plurium e Graecia, nominibus scatet. Est illud in fronte *Breviarii* eiusdem Ecclesiae, quod Clar. nobisque amicissimi viri *Dominici Vergorii*, praedictae Ecclesiae Canonici, dono accepimus. Quamvis vere Breviarium istud excusum Venetiis fuerit anno *MDXXVI*, illudque notum fuerit Fratribus *Macriis*, qui in *Hierolexico* eius mentionem faciant, et B. Cardinali Thomasio, qui in notis ad *Responsoriale* et *Antiphonarium* eius meminit (1) ex eoque exscripsit Antiphonam in *Officio Litaniarum Maiorum*; *ego sum Alpha* etc., tamen cum non facile sit in Provinciis nostris exemplar aliquod inveniri, non omnino iniucundum sacrorum rituum amatoribus rem facturos putavimus, si et kalendarium ederemus, et ipso ex Breviario plura in II Parte traduceremus. Non enim putandum Breviarium istud, id tantum continere, quod ineunte *XVI* saeculo Lyciensi in Ecclesia servabatur, sed illa quoque haberi, quae ante actis saeculis in usu erant. Ipse quoque piissimus Canonicus *Bartholomaeus Cerasinius*, cuius potissimum cura illud editum ex antiquioribus libris, et Consuetudinibus, ritibusque exceptum testatur; et vere plura in eo sunt, quae venerandam redolent antiquitatem.

---

(1) Opp. Tom. IV, pag. 106. Edit. Vezzosii.

Multa nunc superessent praefari de Codice Mss. Ecclesiae *S. Sepulcri* Civitatis Baruli, in quo liturgia pene omnis compendio continetur, quae in Patriarchali Ecclesia Hierosolymitana saeculo XII servabatur, sed ad ea quae hunc spectant Codicem, et quae ex codice ipso excerpsimus, speciale anteloquium scribere visum.

Atque haec sunt quae de opere nostro praefari visum fuit, ut quibus ex fontibus ea, quae edimus, derivantur, et circa quae potissimum labor noster versatus fuerit, lectores prospiciant: illud unum denique petimus, ut nostrae aetati laboribus pene fractae, nostrique ingenii exiguitati, lectores parcant.

IANUARIUS.

Prima dies ledit iam septenaque cedit (1)

			Ianuarius habet dies XXXI. luna vero XXX. Nox habet horas XVI dies vero VIII.
KL			*Circumcisio domini*: et S. Basilii ep., et conf. et Martine Virg.
IIII	no.		Octava S. Stephani.
III	no.		Octava S. Ioannis.
II	no.		Octava Innocentium.
	Nonas		Vigilia Epiphanie.
VIII	id.		Epiphania dom. A festo stelle numerando perfice lunam : post XL. dies, et septuagesima fiet : et si bisextus fuerit semper aditur unus. Si cadit in lucem dom. suppone sequentem. (2)
VII	id.		
VI	id.		
V	id.		
IIII	id.		Sancti Pauli primi heremite Conf. = Luna Ianuarii in media nocte accenditur.
III	id.		S. Yginii Pp. et Mart. Et sancti Leucii Patriarche.
II	id.		
	Idus		Octava Epiphanie.
XIX	kl.	*Febr.*	S. Felicis in pincis presb. et mart.
XVIII	kl.		S. Mauri Abbatis.
XVII	kl.		S. Marcelli Pp. et Mart.
XVI	kl.		S. Antonii Abbatis.
XV	kl.		S. Prisce Virg. et mart. *Ante diem prisce nunquam deponitur.*(3)

---

(1) *Qui versus pluribus in veteribus kalendariis, ut et in nostris quoque singulorum mensium fronti, et ad calcem appositi leguntur necnon et siglae illae quae ad latera adpinguntur, ii ad AEgyptiacos dies designandos pertinent. De diebus porro AEgyptiacis in Secunda Parte Dissertationem dabimus.*

(2) *Hanc Adnotationem, quae regulam satis simplicem ad inveniendum quolibet in anno Septuagesimae, et sic porro Sacri Paschatis, diem, docet, Dominicus Macri in Hierolexico Voce* Septuagesima *quoque exhibet, eiusque usum exponit. Ipse vero legit* a Sexto stellae, *cum Codices nostri melius legant* a Festo. *Cangius quoque V.* Septuagesima *versus istos, sed decurtatos, et corruptos adfert.*

(3) *Post verbum* deponitur *deest hic* Alle, *quod aliis in Mss. ad complendum versum legitur.* Alle *vero pro* Alleluia *ponitur.*

XIIII	kl.	Sanctor. Marii, Marthe, Audifax, et Abbacuc	
XIII	kl.	Sanctor. Fabiani, et Sebastiani mart.	*Sol in Aquario*
XII	kl.	*S. Agnetis Virg. et Mart.*	
XI	kl.	Sanctor. Vincentii, et Anastasii mart.	
X	kl.	S. Emerentiane Virg. et Mart.	
VIIII	kl.		
VIII	kl.	*Conversio Sancti Pauli Apostoli.*	D.s S.s V Γc yes
VII	kl.		
VI	kl.		
V	kl.	S. Agnetis secunde.	
IIII	kl.		
III	kl.		
II	kl.	Sanctor. Ciri, et Ioannis.	

Nona parit bellum, quarta dat hora flagellum.

FEBRUARIUS.

Alterius mensis post quartum tertium ensis.

Februarius habet dies XXVIII. Luna XXIX. = Quando est bisextus habet dies XXIX. Luna XXX. Nox habet horas XIIII dies X.

LK		Sancti Ignatii Episcopi, et mart.		
IIII	no.	*Purificatio S. Marie Vir.*		
III	no.	S. Blassii epi. et mart.		
II	no.	S. Giliberti Conf.	D.s H.s VIII	
	Nonas	*S. Agate Virg.*		
VIII	id.			
VII	id.			
VI	id.			
V	id.	*Translatio S. Corradi Conf. et S. Sabini epi.*		
IIII	id.	S. Scolastice Virg.		
III	id.	*Iste sunt claves terminorum, qui nunquam falluntur neque mutantur. Post XVI. Kal. Februarii ubi luna inveneris decima, ibi sequitur dominica terminum septuagesime ultimus terminus XL.*		
II	id.			
	Idus			
XVI	kl. *Mart.*	S. Valentini presb. et mart.		*Sol in pisce*
XV	kl.			
XIIII	kl.			
XIII	kl.			
XII	kl.			
XI	kl.	S. Barbati Epi. et Conf.		
X	kl.			
IX	kl.			
VIII	kl.	*Cathedra S. Petri*		
VII	kl.			Vigilia
VI	kl.	*S. Mathie Ap.*		
V	kl.		D.s H.s X.	
IIII	kl.			
III	kl.			
II	kl.			

Nullus decime vel dene dixerint ave

MARTIUS.

Martius in prima cum quarta dividit yma.

Martius habet dies XXXI. luna XXX. Nox habet horas XII. dies vero XII.

KL		S. Herculani Epi., et mart.	
VI	no.		
V	no.		
IIII	no.		
III	no.		
II	no.		
	Nonas	SS. Perpetue, et Felicitatis	*Luna Martii media nocte*
VIII	id.	S. Thomasii de Aquino Conf.	
VII	id.	SS. Quadraginta Mart.	
VI			
	id.		
IIII	id.	*S. Gregorii pp. et Conf.*	
III	id.		
II	id.		
	Idus		
XVII	kl. *Aprilis*		
XVI	kl.		
XV	kl.		*Sol in ariete*
XIIII	kl.	Sancti Ioseph Conf. (*manu admodum recentiori*)	
XIII	kl.		
XII	kl.	*Sancti Benedicti Abbatis.*	*Equinoctium*
XI	kl.	*Post festum S. Benedicti ubicumque XIV luna invenitur ibi dominica proxima resurrectio Domini celebratur.*	
X	kl.		
VIIII	kl.		
VIII	kl.	*Annuntiatio S. Marie Virg.*	
VII	kl.	*A septuagesima usque in pasca numera X dominicalia et ibi fac terminum pasce.*	
VI	kl.		
V	kl.		
IIII	kl.		
III	kl.		
II	kl.	Prima nocet multum, dabit altera cultum.	

APRILIS.

Qui decimus cedit, undecimus Aprilis obedit.

KL			Aprilis habet dies XXX. luna vero XXX. Nox habet horas X. dies vero XIV.	
IIII	no.			
III	no.			
II	no.			
	Nonas			
VIII	id.			
VII	id.			
VI	id.			D.s H.s IX.
V	id.			
IIII	id.			
III	id.			
II	id.			
	Idus			
XVIII	kl.	*Madii*	Sanctorum mar. Tiburcii, Valeriani, et Maximi.	
XVII	kl.			
XVI	kl.			
XV	kl.		S. Anacleti pp. et mar.	*Sol in Tauro*
XIIII	kl.			
XIII	kl.		S. Leonis pp., et conf.	D.s H.s IX.
XII	kl.			
XI	kl.			
X	kl.		Sanctorum Sotheris, et Gay pp.	
IX	kl.		S. Georgii mart.	
VIII	kl.		*Karema* (1) *pasce tua docet passio marce.*	
VII	kl.		S. Marce Evang. Lect. IX. S. et litanie maioris, et ultimus terminus pasce.	
VI	kl.		Sanctor. M. Cleti et Marcelli pp.	
V	kl.			
IIII	kl.		S. Vitalis mar.	
III	kl.		S. Petri mart.	
II	kl.			

Prima petit telis quem nona requirit Aprelis.

---

(1) *Amanuensis certe error. Lege ut ex aliis Mss.* extrema.

M A D I U S.

Tertius hic aptat Madii quod septimus aptat.



Madius habet dies XXXI. luna vero XXX. Nox habet horas X dies vero XIV.

	Sanctor. Apostolorum Philippi, *et Jacobi*
no.	
no.	*Invencio S. Crucis* : et Sanctor. mart. Alexandri, Theodori, Eventii, et Iuvenalis.
no.	
no.	
no.	*S. Ioannis ante porta latina*
Nonas	
id.	*Invencio S. Michaelis Archangeli.*
id.	*Adventus S. Nicolai.*
id	Sanctor. mart. Gordiani, et Epimachi.
id.	
id.	Sanctor. mart. Nerei, Achilei, et Pancracii.
id.	
id.	S. Bonifacii mart.
Idus	
kl.	
kl.	
kl.	
kl.	*Sol in gemine*
kl.	S. Potentiane Virg. et S. Petri morronis conf.
kl.	Ss. mart. Eustasii, et sociorum eius.
kl.	
kl.	
kl.	
kl.	
kl.	Sancti Urbani pp. et mart. et S. Francisci. D.s H.s X.
kl.	S. Eleutherii pp. et mart.
kl.	S. Ioannis pp. et mart.
kl.	
kl.	*Isto die fuit consecratum mag. altare Ecclesie anno XV. indict.*
kl.	Sancti Felicis pp. et mart.
kl.	S. Petronille Virg.

Sexta minus sordet eum.

IUNIUS.

Cum nil dena dabit, Iunii quindena negabit.

Iunius habet dies XXX. luna vero XXIX. Nox habet horas VI. dies vero XVIII.

KL			Sanctor. mart. Marcellini, Petri, et Herasmi.
IIII	no.		S. Nicolay peregrini conf.
III	no.		
II	no.		
	Nonas		
VIII	id.		Ultimus terminus Pentecostis.
VII	id.		
VI	id.		
V	id.		Sanctor. Primi, et Feliciani mart.
IIII	id.		D.s H.s V.
III	id.		*S. Barnabe Apostoli.*
II	id.		Sanctor. mart. Basilidis, Cirini, Naboris, et Nazarii.
	Idus		S. Antonii de ordine minorum.
XVIII	kal.	*Iulii*	
XVII	kal.		Sanctor. Viti, Modesti, atque Crescentie.
XVI	kal.		D.s H.s IIII.
XV	kal.		*Sol in Cancro.*
XIIII	kal.		Sanctor. mart. Marcelliani, et Marci.
XIII	kal.		Sanctor. mart. Gervasi, et Prothasi.
XII	kal.		S. Silverii pp. et mart.
XI	kal.		
X	kal.		S. Paulini epi. et conf.
IX	kal.		Vigilia.
VIII	kal.		*Nativitatis S. Ioannis Baptiste.*
VII	kal.		S. Eligii, epi., et conf.
VI	kal.		*Iohannis, et Pauli mart. et Dedicatio Sancte Marie de martyribus.*
V	kal.		
IIII	kal.		S. Leonis pp. et Conf. Vigilia.
III	kal.		*Sanctor. Apostolor. Petri et Pauli.*
II	kal.		Commemoratio S. Pauli

IULIUS.

Terdecimus fortis Iulii sexdecimus via mortis.

Iulius habet dies XXXI. luna vero XXX. Nox habet horas VIII. *dies* vero XVI

KL		Sanctor. mart. Protessi (sic), et Martiniani.
VI	no.	
V	no.	
IIII	no.	
III	no.	
II	no.	*Octava Apost. Petri, et Pauli.*
	Nonas	
VIII	id.	S. Precopii mart.
VII	id.	
VI	id.	Sanctor. mart. septem Fratrum, et Sanctar. Rufine, *et Secunde* Virg.
V	id.	S. Pii pp., et mart.
IIII	id.	Sanctor. mart. Naboris, et Felicis.
III	id.	S. Anacleti pp. et mart.
II	id.	*dies canicularis*
	Idus	Sanctor. mart. Quirici, et Iulitte.
XVII	kal. *August.*	
XVI	kal.	S. Alexii Conf.
XV	kal.	Sancte Symphorose cum septem filiis suis.
XIIII	kal.	
XIII	kal.	*Sancte Margarite. Virg. et Mart.*
XII	kal.	Sancte Praxedis Virg.
XI	kal.	*Sancte Marie Magdalene.*
X	kal.	S. Apollinaris epi. et mart.
IX	kal.	Sancte Christine Virg. et mart. Vigilia.
VIII	kal.	*S. Iacobi Apostoli*; et S. Cristophori mart.
VII	kal.	S. Pastoris Presb. et conf.
VI	kal.	S. Pantaleonis mart. et Sancte Venere (*recentiori manu*)
V	kal.	Sanctor. mart. Nazarii, et Celsi, Victoris, et Innocentii.
IIII	kal.	Sanctor. mart. Simplicii, Faustini, Beatricis, et Felicis pp. et mart.
III	kal.	Sanctor. mart. Mauri pontificis, Pantaleonis, et Sergii.
II	kal.	Sanctor. mart. Adon, et Senen.

(XXVII)

AUGUSTUS.

Septima prima furit, a fine secunda perurit.

Augustus habet dies XXXI. luna vero XXX. Nox habet horas X. dies vero XIIII.

KL		*S. Petri avincula*, et Sanctor. mart. Machabeorum.	
IIII	no.	S. Stephani pp. et mart.	
III	no.	Inventio corporis S. Stephani protom.	
II	no.	S. Iustini presb. et mart.	
	Nonas	S. Dominici Conf.	
VIII	id.	S. Sisti pp. et mart. et Sanctor. mart. Felicissimi, et Agapiti.	
VII	id.	S. Donati epi. et mart.	*Auptumnus oritur.*
VI	id.	Sanctor. mart. Ciriaci, Largi, et Smaragdi.	
V	id.	S. Romani mart.	Vigilia.
IIII	id.	*S. Laurentii mart.*	
III	id.	Sanctor. mart. Tyburtii, et Susanne Virg.	
II	id.	Sancte Clare Virg.	
	Idus	S. Ypoliti, et sociorum eius.	
XIX	kal.	S. Eusebii presb. et Conf.	Vigilia.
XVIII	kal.	*Assumptio Beate Marie Virginis.*	
XVII	kal.		
XVI	kal.	Octava S. Laurentii	
XV	kal.	S. Acapiti mart.	*Sol in Virgine.*
XIIII	kal.		
XIII	kal.	S. Bernardi Abbatis.	
XII	kal.		
XI	kal.	*Octava Beate Marie Virg.* et Sanctor. mart. Tymothei, Ypoliti, et Symphoriani.	
X	kal.	*Regnat in auptumno Festum·Clementis ab usque*	
IX	kal.		Vigilia.
VIII	kal.	*S. Bartholomei Apostoli.*	
VII	kal.	S. Zepherini pp. et mart.	
VI	kal.		
V	kal.	S. Augustini Epi. et conf. et S. Heremetis	
IIII	kal.	*Decollatio S. Ioannis Baptiste*: et Savine Virg. et mart.	
III	kal.	Sanctor. mart. Felicis, et Audatti.	
II	kal.		

SEPTEMBER.

Tertia turbatur Septembris dena minatur.

Doctissimus, nec unquam satis laudandus Canonicus Mazochius in Adpendice ad *de Sanctorum Neapolitanae Ecclesiae Episcoporum cultu* Dissertationem, vetus illustris Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium edidit, quod ei Tutinianum appellare placuit, quippe a Camillo Tutino exscriptum e Libello Rituum, et Consuetudinum Ecclesiae Neapolitanae anno 1337 per Archiepiscopum Ioannem Ursinum digesto, cui praefixum Kalendarium erat. Coniiciendum igitur venit, non equidem ex autographo Tutinum Kalendarium illud excepisse, sed ex apographo libello illi inserto; ex quo factum, ut Clarissimus Mazochius non ex autographo suum ediderit, sed e Camilli Tutini manuscriptis sumserit. Quum vero autographum, ut videtur, Kalendarium illud apud nos sit, in illud, aliqua adnotare non supervacaneum putamus.

Et primum quidem, quod ad aetatem huiusce Kalendarii attinet, duplicem ea de re Doctissimus vir sententiam expressit; alteram, quae part. 1. cap. 3. citati operis, necnon et in adpendicis monitis ante Kalendarium ipsum legitur; quibus in locis extremo saeculo XII illud scriptum docet; alteram, quae habetur in adnotatione 3. ad Tutini observationes. Hoc in loco terminum citeriorem, ut ipse appellat, ultra saeculum XII extendere illi visum, ita ut inter annos 1207 et 1231 scriptum adfirmet. Argumenta ob quae potissimum Vir modestia Clarus seipsum emendavit, haec sunt, scilicet quod in Tutiniano hoc Kalendario *S. Iulianes* nomen rubris scriptum legatur characteribus; quodque *S. Maximi Cumani* nomen ad diem 30. Octobris reperiatur, inde in eam descendit sententiam, Kalendarium exaratum fuisse post annum 1207, quo per Anselmum Neapolitanum Episcopum Sanctorum praedictorum reliquiae translatae fuerunt. Quamvis vero in nostro autographo *S. Iulianes* nomen minio illitum conspiciatur, minime vero illud *Cumani* martyri *Maximo* adpositum legitur. Ex quo suspicari licet ex apographo, quod Tutinus ob oculos habuit, illud *Cumani* exscripsisse (nec enim eius elevare fidem placet) et fortasse apographo illi, post translationem anno 1207 peractam, το *Cumani* adiectum. Hoc vero nobis confirmare videtur priorem Mazochii sententiam, saeculo scilicet XII exeunte Kalendarium nostrum fuisse scriptum. Neque characteribus rubris, quibus S. Iulianes nomen illitum, attendendum esse putamus, quum huius Sanctae cultus longe antea celebris in Neapolitana Regione fuerit, ut ex Epistol. S. Gregorii lib. VII. Ep. 84, 85 coniicere licet. Hoc tantum hic adiungere libet, characterum nostri, quod putamus, autographi formas satis demonstrare, circa finem saeculi XII, vel sequentis principium, illud fuisse exaratum. Et ne formas illas moleste describamus, satis, ut opinamur, erit dicere, formas illas ipsissimas esse, quas in Diplomate Richardi Capuae Principis exhibet Mabillonius de Re Diplomatica. Tom. 2. Edit. Marchionis Bombae. Deest omnino in nostro Codice titulus, isque, qui notatur apud Mazochium a Tutino forte additus esse videtur. Sunt tamen in eodem

nostro ad singulos dies numerus aureus, et Dominicalis littera, necnon et Kalendae adpositae, quae in edito non videntur fortasse ex eo quod vel Tutinus exscribere, vel Mazochius edere haud operae pretium putaverint. Uti vero in Tutiniano, ita et in nostro illae eorum temporum eruditiones reperiuntur, quae ad Solem in Geminis, in Scorpione, in Leone, in Capricorno adnecti aliquando fuit consuetudo. Nullum vero verbum apud Mazochium de diebus Ægyptiacis in plurimis illorum temporum Kalendariis adnotari solitis. Equidem in nostro Codice haud distincte notantur, sed iis diebus adpicta videtur grandis littera Θ, initialis videlicet Θανατος. Sed de hoc alias, nunc quaedam speciatim addamus.

Advertit Vir doctissimus ad diem IX Februarii, ubi legitur *S. Savini Episcopi* nomen, recentiori charactere adiectum fuisse *S. Apolloniae Virg.* Adiunctum quoque in nostro Codice Apolloniae nomen est, et recentiori equidem charactere. Duo alia hic referemus, ex quibus fortasse probari poterit vere autographum Codicem nostrum esse. In hoc ad diem 27 Iunii scriptum certe erat nomen *S. Leonis Pp., et Confessoris*, cum adiuncta *Vigilia*; sed nomine illo abraso, sequenti die, verum aliena manu legitur *S. Leonis Pp. et Conf. Vigilia Apostolorum*; dies vero illa 27 in Tutiniano vacua invenitur. Similis error Scriptoris fuit ad diem 26 Octobris post *S. Gaudiosi* nomen scribendi *Vigilia*, et deinde ad vicesimam septimam notandi nomina *Ss. Apostolorum Symonis et Iudae.* Hoc emendatum inde in nostro fuit, et dictorum Apostolorum nomina ad sequentem diem aliena manu scripta. Sed qui hoc fecit, intactam Vigiliam, quo erat loco, reliquit. Nunc ad alia, quae et Kalendarium ipsum, et Doctissimi Canonici notas illustrare aliquo modo possint, descendamus.

Die XIIII. Ianuarii cum in Tutiniano *S. Felicis* nomini adscriptum legerit *in Tineis*, optime Mazochius corrigendum duxit *in Pincis*, ut fere in omnibus agiographis reperitur scriptum; sed amanuensis, quo Tutinus usus, fortasse ille error fuit, quum in nostro aperte legatur *impincis* (sic).

Die XX. Februarii in Tutiniano legitur *QuodvultDei*, in nostro vero

habetur *Covult Dei*, id quod illorum temporum orthographiam satis indicare videtur.

Die XVII. Mart. cum in Tutiniano legatur *S. Patherii Episcopi Conf.* illustri Mazochio occasionem dedit cogitandi de *S. Paterio Brixiensi Episcopo*, cuius mentio in Romano Martyrologio die XXI. Februarii habetur. In nostro vero quam manifeste legitur *Patricii Epi. Conf.* Nullus ergo locus dubitandi erit, quin de celebri Hiberniae Apostolo hic agatur.

Mirari vero subest quid sit, quod ad diem XXIX Martii in Tutiniano *S. Anastasii M.* reperiatur nomen scriptum, quum contra in nostro Codice nomen *S. Armogasti M.* aperte legatur. An amanuensis, quo Tutinus usus fuit, *Armogastum* cum *Anastasio* commutavit ? Equidem in Mart. Rom. ut et in aliis antiquioribus, mentio fit hac die XXIX *Armogasti Comitis*, *Masculae*, *Archinimi*, *et Saturi*, ex errore tamen; nec enim unquam comes Armogastus fuit, et illud *Masculae* non martyris, sed civitatis nomen fuit. Hi passi sunt in Africa sub Genserico Rege. Videndi, si placet ad plura, quae ad hos martyres spectant, scienda, ut alios omittamus, Clariss. Georgius in Adonem, et Bollandiani hac die. Cur vero tantum de S. Armogasto festum notatum fuerit, illud fortasse ex eo factum, quod Corporis eius reliquiae fuerint aliquae Neapolim translatae. Fasces hic nobis submittere placet.

Die XIII. Aprilis in Tutiniano habetur *Hermenegildi Epi. Mart.*; in nostro vero *Ermigaldi Epi. Mart.* Quis iste Ermigaldus non satis liquet. Certe dies haec celebris est ex memoria *S. Hermenegildi Martyris*, de quo S. Gregorius Papa scripsit, et qui aliquibus in Codicibus *Ermigildus* scribitur, ut advertit Clarissimus Georgius in Adonem. Fortasse ex errore adiunctum fuit illud Epi., quum S. Hermenegildus Episcopus non fuerit. Dolendum nullam Mazochium adposuisse notam.

Die XVI. Aprilis Tutinianum habet sic, *Nicetis pp. et m. sive Aniceris*: hoc posterius certe a Tutini amanuensi inductum fuit, quum in nostro *sive Anicetis* nullo modo legatur. Illud vero *Aniceris* cum littera *R* bene correxit Mazochius, non alias correcturus, si nostrum Codicem vidisset. Ceterum Librarius pro *Anicetis* impressit *Pnicetis*.

XVI. Iunii = Iasautum duplici *a* ante et post *s* bene in Isaurum vertit Mazochius. In nostro vero codice *Isauri* legitur, nec dubium de illo agi, quem Doctissimus Vir advertit in Basilii Menologio die VI. Iulii describi.

XX. Iunii = *Diltrudae Virg.* nomen scriptum habetur. Ad hanc ita Eruditissimus Vir adnotavit. = *Nec Diltruda Virgo notior, verum pro Diltrudae videtur in autographo fuisse Gertrudae aut Girtrudae a Brabantia, ut aiunt. Nisi potius est Hiltrudes (eadem an diversa ex Gertrude nunc non queo dicere) Virgo in Hannonia sub Pipino Rege, de qua ex Molano Baronius ad XXVII Septembris.* Diltrudes habetur quoque in nostro. Non vero haec *Diltrudes* ex Brabantia, vel ab Hannonia repetenda, sed ex Anglia potius. Sane in Martyrologiis Octoboniano, et Fuldensi a Cl. Georgio editis IX kal. Iulii fit mentio S. Ediltrudae in Britannia Reginae. Eius etiam memoria apud Adonem prostat, ad quem Georgius variationes nominis eiusdem adnotavit, scilicet *Edeltrudis*, *Diltrudis*, *Ethel-drudae*, *Ethildridae*, et *Etheltrudae.* Eius acta habentur apud Mabillonium saec. II Ben., et apud Bollandianos, qui copiose de illa dixerunt ad diem XXIII Iunii sub nomine *Etheltrudae.* Beda quoque genuinus haec de illa habet ad diem IX. kal. Iunii = S. Ediltrudae Virginis et Reginae in Britannia, cuius corpus cum undecim annis esset sepultum, incorruptum inventum est.

XIV Iulii = *Iusti et Ziaclei M.* scriptum est in Tutiniano. Nullus proinde dubitavit Mazochius, quin ille ipse *Iustus* intelligendus esset, de quo in Mart. Rom. hac die est memoria. Quis vero iste Ziacleus? Anceps doctus vir haesit; fortasse, ut suspicatus est, Iusti socius et commilito: et in medio quoque affert *Alphaeum*, et *Zacheum Mart.* in Palaestina ex Mart. etiam Romano notos ad XXVII. Novembris. In nostro vero codice non *Ziaclei* legitur, sed *Eraclei*, ex quo in eam facile descendimus sententiam de *S. Heracla* Alexandrino Patriarcha mirae eruditionis Viro, hic agi, quum praesertim eius in Mar. Rom. hac ipsa die mentio habeatur.

Die XXIII. Octob. in Tutiniano legitur = *Malonis Conf.* = Hanc apposuit notam eruditione aeque ac modestia insignis Canonicus = *Hic Malo unde sit expecto ut alius doceat* = Nos primum docuit Kalendarium membranaceum Parisiis circa finem *XV* saeculi excusum, in quo hac ipsa die *S. Melonis* nomen legitur. Nullo modo perinde dubitamus, quin Tutinianus *Malo* Rothomagensis Episcopus *S. Melanius*, cuius antecedenti die R. in Martyrologio mentio est; adnotavitque Baronius ipsum *Melonis* nomine a pluribus corrupte scribi (1). Sane in nostro Autographo non *Malonis*, sed *Molonis* legitur. Nunc ad alia, quae fortasse minoris aestimari poterunt momenti, transeamus.

Die XV Aprilis Tutinianum Kal. nomen habet tantum *Olympiadis.* Quamvis vero, ut putamus, ex errore in nostro legatur *Olimpidis*, ei vero nomen *Maximi* adiungitur, ita ut suspicari liceat a Tutini amanuensi ex oscitantia relictum. Sane Martyrologia pene omnia, et Romanum ipsum, *Olympiadi Maximum* addunt, et Ado quidem titulo *nobilium* ambo honestavit; quum vero in Mart. Rom. in Perside passi illi dicantur, ab Adone vero, et ab aliis *in Civitate Cordulae* martyrium fecisse scribatur, hinc inter eruditos de loco passionis controversia.

Die IV Martii = *Iulii Pp. et M.* = ex Tutiniano habetur; item et XII Aprilis *Iulii pp. Conf.*, melius veriusque in nostro, ubi ad IV Martii legitur *Lucii pp. et m.*

Ultimum vero erit, quod die XIII ad *S. Agnelli*, non *Conf. M.* ut in Tutiniano, sed *Conf. Monaci* in nostro legitur.

Cetera quae inter utrumque variantia, ne nimis lectorem moramur, omittere satius erit.

---

(1) Marten. de ant. Eccl. Rit. Lib. IV. cap. VIII. = *XI. Kal. Novembris in Dionysianis consuetud. tres Lectiones de S. Mellone Ep. et Conf.*

SACRAE PATRIARCHALIS

ECCLESIAE HIEROSOLYMITANAE LITURGIAE

EXCERPTA

EX MSS. CODICE INSIGNIS ECCLESIAE

S. SEPULCRI BARULI

Cum Ecclesiasticarum disciplinarum studio, quo excellentissimus Melphictensis noster Episcopus *Philippus de Iudice Caracciolo*, et eius qui vices sacras tenet clarissimus *Iosephus Elefante* pollent, eorumque erga nos gratia factum sit ut illustres Canonici insignis Ecclesiae S. Sepulcri Baruli nobis commodaverint manuscriptum codicem membranaceum, quo Liturgia pene omnis describitur quae XII saeculo in Patriarchali *Hierosolymitana* Ecclesia Dominici Sepulcri servabatur; cumque quaecumque placerent ex eo exscribere a praedictis illustribus Canonicis concessum fuerit, rem nec inutilem, nec eruditis viris ingratam facturos putavimus, aliqua ex illo excerpere, tum et notulas aliquas observationesque ad illa illustranda addere. Neque vero Hierosolymitanae Ecclesiae, cum Patriarchas Latinos ibi residentes habuit a quoquam quod nos sciamus descripta legitur sacra Liturgia, et Martenio sola *Apamaeensis* insignis Ecclesia, innotuit, ex eaque quam plurima suo in elaborato de antiquis Ecclesiae ritibus opere inseruit. Ex quo illud consequitur tanto Barolitanum Codicem pretiosiorem esse, illo quem Martenius ad manus habuit, quam Hierosolymitana Patriarchalis Ecclesia *Apamaeensi* insignior erat. Accedit et illud quoque, quod in Hierosolymitana Liturgia ritus legantur ad memoriam mysteriorum Domini nostri Iesu Christi locorumque, in quibus operata, suscitandam, tum et erga ea pietatem, devotionemque excitandam mirifice sint apta. Neque vero sic extra propositum nostrum Ecclesiarum scilicet per Apuliam et Calabriam illustrandi monumenta,

nos vagari quis accusabit. Quamplura enim argumenta suadent, quae olim Hierosolymae servabatur liturgia, eam ad Barolitanam Ecclesiam S. Sepulchri traductam fuisse, et olim saltem Ptolemaide, capta in usu Canonicorum et Clericorum eiusdem Barolitanae Ecclesiae fuisse. In Kalendario equidem, quod Codici affixum, plura leguntur admodum recentiori manu addita, utpote *V* Id. Februar. *S. Sabini* Episcopi, *XI* Kal. Martii *S. Barbati, VIII* Id. Maj. Inventionis *S. Michaelis*, et die sequenti *Translationis S. Nicolai* tum et *IIII* Idus *S. Cathaldi*, *VIII Kal. Novembris SS. Mauri Pontificis Sergii et Pantaleonis*, denique *III* Kal. Ian. *S. Rogerii Episcopi* Cannensis nomina leguntur, quae absque dubio a Barolitanis adiecta fuerunt. Ceterum varias variis temporibus manus expertum fuisse Kalendarium, ipsum videnti tantum perspicuum fit, cum plura Sanctorum nomina addita, plura etiam abrasa, et alia quoque superscripta legantur Codex vero nullo pene loco hominum manu corruptus, illudque tantum displicet, quod aliquibus in locis vitio atramenti, quo amanuensis usus, deletae sint litterae, et quandoque membrana ipsa erosa conspiciatur.

Ut vero ad Liturgicum proprie Barolitanum Codicem transitum faciamus, hic non una manu scriptus videtur. Quamvis enim litterarum formae eaedem pene sint, non tamen eadem, quae in principio orthographia est, postea retinetur. Quidquid vero de hoc sit, nil namque moramur; litterarum formae saeculi XIII exeuntis, vel sequentis ineuntis videntur esse: Nec litterarum tantum formae orthographia, interpunctio et cetera huiusmodi ad saeculi XIII finem vel sequentis initium scriptionem Codicis amandant, sed et notarum musicarum formae, quae antiphonis, responsoriis, aliisque huiusmodi adpinguntur, eamdem probant aetatem. Illae namque iis, quibus hodie utimur, omnino sunt conformes, et quatuor distinctae lineis, raro tribus, *clavibusque*, ut aiunt, praepositis.

Id vero Barolitani Codicis insigne pretium haud minuit quippe certe alio ex Codice XII saeculi exscriptus sit; ita ut ex hoc Barolitano noscere

licebit sacram Liturgiam quae saeculo XII in praeclara illa Patriarchali Dominici sepulcri Ecclesia vigebat. Nulla inde Sacratissimi corporis Christi festi mentio in hoc Codice, nulla SS. Dominici, et Francisci, nulla S. Thomae Cantuariensis mentio habetur, uti et nulla Conceptionis Beatae Virginis, quamvis alia manu recentiori, sed antiqua tamen in kalendario adscripta reperiatur. Quod vero maxime evincit autographum, ex quo Barolitanus exscriptus codex fuit, Liturgiam XII saeculi nos docere, illud est, quod manifeste legenti appareat ritus illos usitatos fuisse, cum Latini in Civitatis, et Regni Hierosolymitani plena erant possessione: nec enim aliter stationes, processiones ad varias Hierosolymitanas Ecclesias, tum et vicina loca fieri poterant. Cum vero constet anno MCCVII captam fuisse Hierosolymam, et Accon sive Ptolemaidem confugisse Latinos, porro consequitur ante captam Sanctam Civitatem, scilicet ante annum MCCVII, autographum scriptum fuisse. Cum vero in Codice pluries veteris, et novi usus mentio habeatur fateri omnino oportebit non exeuntis XII saeculi., sed et ineuntis quoque liturgiam illo in codice contineri.

Sed ut quae adhuc de aetate autographi Hierosolymitani, et Barolitani apographi diximus, magis, magisque confirmemus, iuvabit aliqua hic adferre de Patriarchis illis, quorum mentio in Barolitano codice habetur. Trium Patriarcharum, utique Latinorum, in Breviario (hic enim Codicis titulus, ut infra) nomina leguntur. Quarti in kalendario, quod certe tardius adiectum fuit, mentio habetur. Primus est *Arnulphus*, de quo dicitur praecepisse, ut in festo Annuntiationis Mariae Virginis et *Gloria in excelsis* et *Credo* dicerentur. A quibusdam hic ut primus ex Latinis Hierosolymorum Patriarcha habitus, revera tamen tertius fuit docente eruditissimo P. Daniele Papebrochio (1). Primus enim ex Latinis fuit *Daybertus*, secundus vero *Gobelinus* sive *Gibelinus*. Hoc ultimo vita fun-

(1) In Patriarcharum Hierosolymitanorum Historia Chronologica Tom. III mensis Maii Act. Sanct. praefixa, ex qua multa excerpsisse vel libenter fatemur.

cto anno *MCXI* Hierosolymitanum ascendit Thronum, denique *Arnulphus*, qui vaferrimus, *et inquietissimus officiique sui testimonium negligens* ut Guillelmus Tyrius ait, primo sedem invaserat, sed illam cedere postea fuit coactus Dayberto. Id tantummodo Ecclesiae Hierosolymitanae praestitit Arnulphus, quod Canonicos in Regulares Canonicos commutaverit, et quidem ut ex Codice ipso apparet, sub regula S. Augustini (1) fortasse etiam et Liturgiam constituit aliqua ex parte, ut religiosi zeli laudem captaret. Hic anno *MCXV* sua e sede depositus ab Arausicensi Episcopo Summi Pontificis Legato *in suis solitis praestigiis fiduciam habens, ad Romanam perrexit Ecclesiam, ubi domini Papae religionem blandis circumvenit verbis remeansque ad propria, sedem obtinuit Hierosolymitanam eadem vivendi licentia qua prius meruerat depositionem*, ut idem Tyrius ait (2). Obiit Arnulphus anno *MCXVIII* eique *Gormundus* successit, quo etiam mortuo Stephanus ordinatus est Patriarcha. Anno vero *MCXXX* mortuo Stephano ordinatus fuit Patriarcha *Wilhelmus. Prior Ecclesiae dominici sepulchri, vir simplex, modice litteratus, forma decorus, moralitate commendabilis, Flamingus natione* ut Guillelmus Tyrius ait. Huius Patriarchae aliqua quaedam ab ipso statuta, et quae in Barolitano Codice leguntur, inferius dabimus. Inter hunc Patriarcham, et *Fulcherium* Tyriensem Episcopum graves fuerunt controversiae maxime quod ille hunc Romam adire ad petendum pallium volentem impediebat. Em. Baronius ad an. MCXXXVIII recitat Innocentii II ad eumdem *Guillelmum* datam epistolam.

Anno vero *MCXLIV Guillelmo* vita functo ille ipse *Fulcherius* Tyriensis Episcopus in Patriarchatu successit. Huius Patriarchae aliqua habentur ab eo praecepta, quae in *Breviario* leguntur. Hoc Patriarcha Hierosolymi-

---

(1) Inferius dabimus ordinem *ad benedicendum Canonicum*.

(2) De hoc Arnulpho videndus est etiam Eminentissimus Baronius in Annalibus Ecclesiasticis.

tanam regente Ecclesiam, graves inter ipsum et alios etiam illarum partium Episcopos et Hospitalarios equites ortae sunt controversiae, de quibus pluribus agit Guillelmus Tyrius, qui multas gravesque contra ipsos equites accusationes affert, ita ut clariss. Pagius in Annales Baronii ad annum *MCLV* his non satis aequum Tyriensem fuisse adfirmet.

Et hi sunt Patriarchae de quibus mentio in cursu Sacrae Liturgiae Codicis Barolitani habetur. Inde porro illud consequi videtur liturgiam ipsam ad XII saeculum pertinere, et ritus etiam aliquos principiis eiusdem saeculi adscribendos esse, praesertim quod ipso in Codice novi ritus ab antiquis quandoque distinguantur. Quod si ritus ipsi probe examinentur, perquam antiquos esse patebit.

In kalendario vero ad diem III Non. Novemb. haec ad marginem et rubris litteris, alia vero manu et forte supparis aetatis adnotatio legitur = *Obiit venerabilis dnus Ridul . . . Patriarcha Ierosolymitanus de ordine praedicatorum* = Quod dicitur *de ordine praedicatorum* satis ostendit non de illo *Rodulpho* hic agi, qui a Sanuto dicitur Concilio Lateranensi anno 1215 interfuisse, sed de *Ridulpho* qui primo loco inter Patriarchas titulares, ut aiunt, Hierosolymorum recensetur a Papebrochio. Renunciatus enim Patriarcha fuit a Sancto Pontifice Caelestino huius nominis V, et Parisiis consecrationem accepit episcopalem anno *MCCXCIV*. At *Romam veniens*, ut Guillelmus de Nangiis scribit, *fuit a Bonifacio Papa degradatus* suffecto illi *Guillelmo Estendardo* magno Comite-Stabuli Regni Siciliae cis Pharum, cui postea anno MCCCV successit *Antonius* Dunelmensis Episcopus. Quoto anno *Ridulphus* defunctus fuerit ignorare fatemur. Cum vero in Kalendario Barolitano eius obitus notetur, suspicari licebit, ipsum uti verum Hierosolymorum Patriarcham habitum his nostris in regionibus fuisse. An fortasse hic fuerit Patriarcha, quem maiorum traditiones ferunt profugum aliquamdiu Baruli consedisse, et *Breviarium* necnon et insignem S. Crucis particulam ibi reliquisse; maxime cum ex adnotatione eius obitus ad kalendarium coniici posse videatur, illum Baruli suum clausisse diem extremum? Barolitani eru-

diti videant. Certum tamen est vel ab initio XIV saeculi et Ecclesiam, et Domum Canonicorum S. Sepulcri Baruli extitisse. *Dominicus* enim *de Gravina* qui res in Regno Neapolitano gestas ab anno *MCCCXXX* ad annum *MCCCL* scripsit in Chronico a Clarissimo Muratorio primum, inde rursus a doctissimo Alexio Aurelio Pelliccia edito, haec habet = Ut autem simul mecum fuit hospitaturus (Angelus Bitonti Capitaneus) ipsum portavi in loco Ecclesiae S. Sepulcri de Barulo, quo apud venerabilem virum fratrem Michaelem de Venusio priorem ipsius Ecclesiae hospitabar. Eratque ipse cognatus noster amicus. Quem idem frater videns ita dictum Angelum defectuosum persona eius compatiens honorifice ipsum in domo suscepit. = Quidquid vero de his, illud nostra sententia pro comperto haberi poterit, Barolitanum Breviarium ex XII saeculi autographo, initio XIV exscriptum fuisse. Illud vero haud possumus praetermittere, quod doctissimus Papebrochius scripsit, scilicet in Antuerpiensi Societatis Iesu Collegio servatum extitisse = *Breviarium ante annos trecentos et amplius manuscriptum in usu Ecclesiae S. Sepulchri in Ierusalem, quod fuit Domus S. Ioannis Baptistae in Harlem Hollandiae oppido, nescio utrum ad equites an ad regulares Hierosolymis propagatos pertinens.* Eiusdem pene aetatis Barolitanum et Harlemense mss. videntur fuisse. Sed haec hactenus, nec enim plura congerere vacat.

His breviter de aetate Barolitani Codicis, et Liturgiae in eo contentae breviter praelibatis, antequam propius ad illam accedamus, placet eorum quae aliena a sacra Liturgia leguntur, aliqua hic dare. Et primum quidem exemplum legitur Epistolae Honorii III Pontificis datae Perusii VIIII Kal. Augusti anno primo Pontificatus *ad Episcopos per Apuliam, Calabriam, et Terram Laboris* constitutos, quo de sua in Pontificem electione illos certiores facit, eorumque orationibus se commendat, tum admonet, ne *per praedecessoris obitum consternerentur corda eorum neque formidarent, quasi ex hoc terrae sanctae impediatur succursus, et quantumlibet sufficientiae illius (Innocentii III) nostra videatur inferior; ad liberationem tamen ipsius terrae votis nostris ut et honoribus astringimur.*

Integrum vero damus indiculum colorum sacrarum vestium variis in festis et temporibus in Hierosolymitana Ecclesia.

» Haec sunt vestimenta quibus solent indui Canonici (1) Dominici Se-
» pulcri in festivis diebus. In primis dominica die Adventus Domini, et
» per totum Adventum, nisi festivitas occurrerit, casulas et cappas ceri-
» cas (2) nigras. Sabbato quando pronunciatur *missus est Gabriel Ange-*
« *lus* (3) de melioribus vestimentis casulam et tunicam. In vigilia nata-
» lis Domini quando incipiuntur laudes debent habere archichori (4) cap-
» pas cericas nigras. Casulam, tunicam, et dalmaticam nigram cum albis
» paratis ad missam. Ad vesperas pannus niger (5) ante altare: Prior
» et archichori cappas nigras ad matutinum similiter. Sed Evangelium
» *Liber generationis* (6) cantatur cum melioribus vestimentis deauratis.
» Missa de nocte cum... Casula quae vocatur *dracho* et aliis nigris ve-
» stimentis tamen melioribus omnibusque sunt illius coloris. Ad missam
» in mane cooperiatur altare panno rubeo super alios duos et Sacer-
» dos diaconus et subdiaconus, et archichori vestimentis rubeis omnibus
» deauratis vel fulgentibus auro. Ad magnam missam ante altare opti-
» mus pannus super alios tres et omnes habeant alba vestimenta et ad

---

(1) Regulares scilicet sub regula S. Augustini.

(2) *Cericas* id est *Sericas*, scilicet *e Serico*. In hoc codice et *Sericas* dicitur, et alias etiam *Ciricas*.

(3) Scilicet Fer. IIII post Dominicam IIII Adventus. Vide infra.

(4) Vide notam inferius.

(5) *Pannus*: plures habet significationes, quae videri possunt apud Cangium, hic tamen cum expresse dicatur *ante* altare erit idem ac quem nunc dicimus italice *Paliotto*. Cum vero inferius dicetur eo panno *cooperiri* altare et etiam super duobus aliis, vel tribus poni, facile erit coniicere *Pannum* illum non ut nunc ante mensam altaris pendentem, sed et integrum altare ipsum cooperuisse.

(6) Scilicet post ultimam nocturnorum lectionem solemniter Evangelium hoc canebatur a Diacono.

» vesperas similiter usque ad antiphonam beati Stephani. In festo beati
» Stephani vestimentis rubeis omnes usque ad antiphonam beati Iohan-
» nis Apostoli, albis vestimentis omnes usque ad commemorationem san-
» ctorum innocentium et tunc cum rubeis vestimentis. In circumcisione
» domini nostri festivitas sicut in nocte nativitatis cum pannis nigris. In
» epiphania domini ante altare pannus celestis , et omnia alia ve-
» stimenta sint eiusdem coloris, tamen evangelium *factum est autem*
» cantetur cum vestimentis deauratis. Omnes sollemnitates beate Marie
» cum pannis et vestibus nigris. A Dominica septuagesime usque in pas-
» sione domini sicuti et adventu cum vestimentis nigris. A Dominica
» passionis usque ad Sabbatum pasche .... diaconus et subdiaconus
» casulas excepto dominico die in ramis palmarum et ad evangelium et
» prophetias ubi habet dalmaticam. . . . . casula rubea
» tantum et ad crucem representandam cappis rubeis. In sabbato pa-
» sche ante altare pannus rubeus usque ad kirie eleison et tunc pona-
» tur albus pannus et de cetero usque in ascensione domini cum albis
» vestibus omnes nisi aliqua festivitas occurrerit, et in ascensione do-
» mini ante altare pannus celestis et omnia vestimenta eiusdem coloris
» sicut in epiphania domini. In sancto die pentecostes pannus rubeus
» ante altare et omnes induuntur vestibus rubeis et in die trinitatis
» similiter. Et in nativitate beati Iohannis cum vestibus albis, et pannus
» albus ante altare et per totas octavas. Et in festivitate Apostolorum
» Petri, et Pauli cum panno rubeo et vestimentis eiusdem coloris. Et
» in festivitate sanctae crucis in inventione, et in exaltatione cum pan-
» no rubeo, et vestibus rubeis et crux sancta super altare ad missam.
» In festo S. Michaelis cum panno celesti et omnibus vestimentis eius-
» dem coloris sicuti in epiphania et ascensione. Festivitas omnium san-
» ctorum omnium colorum pannus altaris, albus et rubeus deauratus. ✝

Alterum quod hic monumentum adiungimus, quodque circa principium codicis legitur est quod sequitur hoc praefixo titulo = *Haec est*

Cronica et quam brevissime res a primis Cruce signatis gestas in Palaestina, et Syria narrat.

» *Anno ab incarnatione Domini nostri MXCVII* Nicea urbs capitur.

» Anno M.XCVIII. Antiochia capitur.

» Anno M.XCVIIII. Ierusalem capitur. In eodem anno fuit primum
» bellum apud Ascalonem.

» Anno M.C.I. Cesarea capitur.

» Anno M.C.II. fuit secundum bellum apud ramam babyloniorum.

» Anno M.C.IIII. Accon capitur.

» Anno M.C.V. factum est iterum bellum babyloniorum apud Ie-
» rusalem.

» Anno M.C.IX. Tripolis capitur.

» Anno M.C.X. Beritus capitur, et eodem anno urbs Sydonia
» capitur,

» Anno M.C.XIII, factum est bellum apud tiberiadem in quo non
» bene evenit nobis.

» Anno M.C.XV. Edificatus est mons regalis.

» Anno M.C.XVIII. Balduinus primus latinorum rex obiit.

» Anno M.C.XXIII. factum est quartum bellum babyloniorum a-
» pud Ierusalem,

» Anno M,C,XXIIII, Tyrus capitur.

» Anno M.C.XXVI. factum est bellum Margsephar,

» Anno M.C.XLVII. Rex francorum obsedit Damascum.

» Anno M.C.LIII.*XIIII.* kal. Septembris Ascalon capitur indict. I.

» Anno M.C.LXVII. Rex Almaricus perrexit egyptum et cepit A-
» lexandriam. Secundo anno cepit belbec. Tertio anno obsedit Damia-
» ta et non cepit eam.

» Anno M.C.LXX. in festo apostolorum petri et pauli fuit terremotus
» pessimus adeo quod destructe fuerunt multe civitates tripolis Arche,
» Gabalus Laodicia Marghath Antiochia et muri eius ex magna parte de-
» structi et alie multe urbes turcorum,

» Anno M.C.LXXVII mense decembri Balduinus, Rex hierosoli-
» morum ... cum Salahadino et infinita multitudine Turcorum pugna-
» vit apud montem gisart et licet minimus fuisset Christianorum exer-
» citus, domini victoria, et vivifice crucis presentia turcos debellavit su-
» peravit et vicit.

» Anno M.C.LXXIX. prefatus rex Balduinus pugnavit cum Sala-
» hadino in loco qui dicitur margelion, et non bene eventum nostris,
» nam magister militiae templi et multi alii barones et milites capti
» fuerunt mortui, et superati . quod credimus ideo contigisse quod san-
» ctam crucem quam fecerat idem rex portare ad auxilium totius exer-
» citus dimiserant apud tiberiadem. Et quia plus in propria virtute quam
» in sancta cruce confidebant non bene cessit eis.

» Anno M.C.LXXXVII primo die mai interfectus est magister hospi-
» tii et IIII die intrante iulii fuit amissio sancte crucis et dissipatio fran-
» corum apud Sephoriam a Salahadino et XI die iunii tradita est ei ci-
» vitas Accon, et IIII die septembris tradita est ei ascalona, et II die
» octobris tradita est ei civitas Iherusalem. Eodem die fuit eclipsis solis.

» Anno M.CC.II. III die martii fuit terremotus magnus apud tyrum.

Cum vero non vacaverit integrum exscribere *Ordinem legendi et canendi in Ecclesia S. Sepulcri qualiter legendi sunt codices*, sufficiat hic ex hoc *Ordine* propriis ex illo traductis verbis adnotare qui sacrarum scripturarum libri, et qua serie in Cursu Ecclesiastico legebantur. Est autem huiusmodi. = Ab octavis epiphanie usque ad septuagesimam le-
» guntur epistole pauli .... A septuagesima usque ad passionem do-
» mini leguntur V libri Moysi pentateuchum vel emptaticum (1). In
» septuagesima accipitur liber genesis. Primam lectionem leget subprior

(1) *Eptathicus*, sive *Heptatichus* ut in aliis mss. legitur, utrumque corruptum pro *Heptateucho*. Continet scilicet *VII* libros, *Moysis V*, et *Iosue*, *Iudicum* libros.

» vel magister scole (1) et cantabitur historia (2). In principio fecit Deus
» celum et terram. duabus dominicis scilicet prologus beati ieronimi.
» Desiderii mei desideratas accepi epistolas ...... In unaquaque Domi-
» nica incipitur unus liber a septuagesima usque ad Passionem in *LX*
» legitur exodus in *L* Leviticus in *XL* liber numeri .... Dominica *II*
» liber Deuteronomii. Dominica *III* Iosue. Dominica *IIII* liber iudicum.
» A passione usque ad Pascha legitur Ieremias .... Dominica II post Pa-
» scha incipit liber actuum Apostolorum per XV dies. Postea leguntur
» Epistole Canonice usque ad ascensionem domini. Ab ascensione do-
» mini usque ad pentechosten... apocalipsis legitur... Ab octavis penteco-
» stis usque ad kalend. Augusti debemus legere IIII libros regum. In
» kal. Augusti incipiuntur parabole salomonis... Per octavas Assumptionis
» leguntur cantica canticorum. Postea leguntur de libro sapientiae usque ad
» kal. septembris .... A kalendis septembris usque ad medietatem ipsius
» legitur iob. mediante ipso mense legitur Tobias et hester et iudith
» A kalend. octobris usque ad kal. novembris libri Machabeorum. A
» kal. novembris usque ad medietatem ipsius legitur Ezechias et me-
» diante ipso mense daniel. Ab adventu domini usque ad Natale eius
» legitur Isaias. In die adventus legitur prologus. *Nemo cum prophetas*.

(1) Id est *Scholae* Cantorum, velut Cantorum Praefectus.

(2) Quamvis *historiae* quandoque usurpari solerent ad lectiones designandas, quae nocturno in Officio legebantur, sive de Scripturis sanctis, sive aliunde petitas: bene tamen monuerunt Maurini ad Cangium, verbum quandoque illud accipi pro *Responsoriis* quae in lectionum fine legebantur vel canebantur. Certe hoc loco pro *Responsoriis* accipiendum *historiae* nomen.

Ordini *Scripturas sacras in Ecclesia legendi similis est* Ordo legendi in refectorio, *quem integrum damus.*

» Haec est consuetudo legendi in refectorio Ecclesie Dominici se» pulcri. A nativitate Domini usque ad septuagesimam leguntur omelie » Evangeliorum et proprietates (1) sanctorum, ubi autem ille defecerint, » legitur Augustinus super Iohannem. Per totum vero anni circulum, » quod non potest legi de bibliotheca (2) in Ecclesia, in refectorio per» legitur et in unaquaque ebdomada sancti Augustini regula (3) legitur » nisi aliqua festivitas occurrerit que proprietatem habeat in Brevia» rio vel in passionario (4). A septuagesima usque ad passionem Domi» ni, si forte defuerit bibliotheca, legitur exameron Ambrosii. Intra o» ctavam passionis, nisi defuerint omelie Evangeliorum, legitur Augusti» nus super Epistolam Iohannis usque ad finem. Quo finito legitur Au» gustinus super psalterium, ubi defuerint omelie Evangeliorum ex bi» bliotheca usque ad nativitatem Domini usque ad kal. Septembris. A kal. » Septembris usque ad nativitatem Domini moralia Iob leguntur, nisi » defuerint omelie Evangeliorum et bibliotheca atque proprietates san» ctorum.

(1) Quas nunc *lectiones proprias Sanctorum*, vel *festi alicuius* dicimus, indigitabantur olim *proprietatis* nomine.

(2) Cave ne vocem *bibliothecam* pro loco, quo libri adservantur accipias. Olim ita appellabatur *liber Bibliorum sacrorum*. Videatur, si placet, Cangius. Ceterum optima istaec erat consuetudo Hierosolymitarum Canonicorum, scilicet legendi in refectorio, quod legi in Ecclesia non poterat. Sic tota scripturarum series per annum legebatur.

(3) Quae certe in Barolitano Codice legitur, sed quam exscribere haud vacavit.

(4) *Passionarium* liber scilicet quo *passiones* Martyrum continebantur.

Denique hanc addimus adnotationem quippe quae pietatem, charitatemque Canonicorum et fratrum S. Sepulcri Ecclesiae plane demonstrat.

» A feria IIII id est in capite ieiunii XL unoquoque die usque ad » Pascha mandatum tribus pauperibus facimus, quod ab Ebdomadario » Sacerdote cum diacono et subdiacono post missam maiorem humili» ter in Capitulo celebratur. Similiter et Canonici in unoquoque Sab» bato post prandium inter se faciunt preter Sabbatum in ramis pal» marum, et nisi festum evenerit (1). Ritus autem hocce mandatum ce» lebrandi in fine codicis habetur, et est huiusmodi.

» Ad mandatum pauperum dicatur in eundo psal. Verba mea cum » gloria Patri. Capit. (2) Ostende nobis. Dominus vobiscum *Oratio* a» ctiones nostras etc. modo incipiant lavare pedes pauperum cum antipho» nis istis. Mandatum meum do vobis. Postquam surrexit. In diebus il» lis. Ubi est caritas. Si ego Dominus. *Antiph.* In hoc cognoscent ho» mines. Dominus Iesus postquam cenavit. Congregavit nos Christus. » His finitis dicitur kirie eleis. Pater noster. Et ne nos. Capit. Suscepimus » Deus misericordiam = Ecce quam bonum = Tu mandasti mandata » tua = Tu lavasti pedes discipulorum tuorum = Opera manuum tuarum » ne despicias. Dominus vobiscum. *Oratio* Adesto quesumus Domine. » Modo offerunt eis panem et vinum ita dicendo. Largitor omnium bo» norum benedicat cibum et potum . . . . et cum psalm. miserere.

---

(1) Consuetudo huiusmodi per integram Quadragesimam unoquoque die trium lavandi pauperum pedes, illosque reficiendi pluribus monasteriis communis erat, et in his etiam Sabbata per totum annum *mandato*, ut dici solebat, perficiendo, sanctificabantur. Videant, quibus vel Monachorum solum nomen stomachum movet an huiusmodi institutio veram Religionem simul et humanitatem sapiat.

(2) Capitula dicebantur versus qui in exsequiis mortuorum dicebantur. Exempla vide apud Beatum Cardinalem Thomasium Tom. *II.* pag. 562. et Tom. *VI.* pag. 216. Ed. Vezzosi. Hoc sensu vox ista deest in Glossario Cangii.

» mihi. *Revertantur in Ecclesiam ante uno altare prostrati* Gloria Patri.
» *toto corpore.* kirie eleis. Pater noster. Et ne nos. Capit. Non nobis Do-
» mine non nobis. Sed nomini tuo. Dominus vobiscum. *Oratio* Respice
» Domine super famulos tuos qui se inclinantes.

Titulus vero qui duobus in locis Liturgici Codicis Barolitani est ut sequitur.

¶ In nomine sancte et individue Trinitatis patris et filii et spiritus sancti. Amen.

» Incipit Breviarium adbreviatum id est quoddam excerptum de plu-
» ribus libris secundum antiquam consuetudinem institutionum Ecclesie
» sepulcri partim secundum novum legendi et canendi in eadem eccle-
» sia sicuti patres antiqui et priores predicte ecclesie valde probabiles
» viri comuni assensu parique voto bona discretione simpliciter ordina-
» verunt. Ac nullo contradicente firmiter tenere et habere pariterque
» decreverunt. (1) Si autem aliquid hic de predictis consuetudinibus
» quod scriptum non sit defuerit in fine libri huius queratur. (2)

---

(1) Quae sequuntur, desunt in alio praecedenti titulo.

(2) Haec vox *Breviarium* non ea hic accipienda est notione quae post Cursus Ecclesiastici reformationem a fratribus minoribus factam et quae usque dum in usu est. Ut ne nostra promamus ista afferre licebit, quae ex doctissimo Cangio depromimus. « *Hocce titulo donatur Breviarium chori ad usum monasterii Casi-*
» *nensis scriptum Alexio Comneno imperante* h. e. circa annum *MC* (autographi sci-
» licet Breviarii Hierosolymitani aetate). *Incipit* Breviarium sive ordo *officiorum per*
» *totam anni decursionem*. Quod quidem Breviarium totius Ecclesiastici Officii ru-
» bricas, ritus etiam et coeremonias continet tam Officii recitandi, quam Missae cele-
» brandae, necnon peculiares praecipuarum solemnitatum observantias. Ubi vir doctis-
» simus Paschasius Quesnellus hinc colligi posse censet primitus breviarii nomine solas
» rubricas, seu ordinem officiorum olim innotuisse, quod postmodum toti Officio, quod

Antequam vero alia ex Barolitano Codice exscripta demus, adnotare quoque placet Dominica ultima post Pentecosten, quae scilicet antecedit Dominicam primam Adventus et sequentem Hebdomadam in Ecclesia Sepulcri Domini nostri, vel ut vocabatur etiam *Dominicae Resurrectionis* celebrari consuevisse huiusmodi Dominicae Resurrectionis sollemnem Commemorationem. Hanc porro consuetudinem nulli aliae Ecclesiae communem fuisse nos adhuc legimus. Cum vero Resurrectio Domini nostri mysteriorum Christi in terris complementum fuerit, annum Ecclesiasticum qui ab adventu Domini incipit, sanctae resurrectionis memoria concludi debere, qui Hierosolymis sacram ordinaverunt Liturgiam, putaverunt.

In Dominica prima adventu s
Ceteris omissis
Ad Magnam Missam (1)

Int. Ad te levavi animam meam
Psal. Vias tuas Domine demo:
Et infulantur Diaconus et subdiaconus (2): *et non dicitur gloria*

» sequebatur, adscriptum est. » Bene autem *adbreviatum*, quod adiungitur verbum explicatur per sequens *excerptum*, scilicet ita excerptum, ut psalmi antiphona. etc. tantum indigitentur. Bene etiam dicitur de *pluribus libris*; non enim ut hodie duobus, vel tribus libris, quae ad cultum divinum spectant continebantur, sed pluribus. Sic pro Missa erat liber sive *textus* evangeliorum, Lectionarium, Gradale, Responsoriale, etc. Sed sufficiat haec tantum delibasse.

(1) Duae quotidie in Ecclesia S. Sepulchri celebrabantur missae, una post Primam et dicebatur *matutinalis*, altera post Tertiam, quae dicebatur *magna missa*.

(2) Quid hoc, *infulantur Diaconus et Subdiaconus*? Ut videtur, non antea, sed dum Introitus missae canebatur, ii *Casulas* accipiebant. In Dominica etiam *de Passione Domini*, de qua infra sequens legitur rubrica = *Ad missam indu-*

in excelsis nec ite missa est. Kirie elesion. Pater Creator omnium (1).

Hic dicitur per totum adventum dominicis diebus et in septuagesima.

Collecta. Excita quaesumus Domine Pater.

Epistola ad Romanos

Scientes quia hora est iam nos

Respons. Universi qui te expectant Domine.

Ver. Vias tuas Domine notas fac

Alla. Ostende nobis Domine

Prosa. Salus eterna indeficiens mundi (2)

Evangelium secundum Matth.

Cum appropinquaret bethfa: (3)

---

untur presbiteri Diaconus et Subdiaconus rubicundis infulis. Hugo a S. Victore in Spec. Eccl. cap. 6. apud Cangium = *Casula quae alio nomine Planeta, vel Infula dicitur* = Hinc ad verbum *Infulari* in eius Glossario adiungenda esset haec notio *casula vel planeta indui.*

(1) Hymnus certe qui in sollemnioribus festis post *Kirie* in Hierosolymitana Ecclesia canebatur. In antiquis Liturgiis occurrunt aliqua additamenta *Kirie eleison* inserta, ut et preces aliquot post *Kirie*, ut videre est apud Bonam Rer. Lit. Lib. II cap. IV; sed hymnum consuevisse dici nusquam legimus.

(2) *Prosa* eadem est ac illa quam hodie *Sequentiam* appellamus, fortasse idem ac *Troparium* Graecorum.

(3) Desumtum hoc Evangelium a principio cap. XXI. Matth. In *Capitulari Evangeliorum* a B. Cardinale Thomasio edito tom. 5. pag. 510. legitur *Hebdomada IV ante Natale Domini* (scilicet Dominica I. Adven.) *Evangelium secundum Matthaeum. In illo tempore cum appropinquaret Iesus Hierosolymis* usque *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Istud porro indicat cur potissimum primae Dominicae adventus Evangelium illud fuerit adsignatum. Evangelium vero hoc et antiquitus legebatur in Ecclesia Mediolanensi, ut et nunc in Dominica IV. Adventus.

Credo in unum Deum Patrem

Dicetur sic in omni Dominica.

Offer. Ad te Domine levavi animam

Dirige me in veritate tua et. . .

Respice in me et miserere mei

Dominus dabit benignitatem

et quae sequuntur.

* Post Dominicam primam adventus, et ad fer. II. haec adnotantur, quae observatione digna putavimus *

In Capitulo annuntiationes lectorum, et cantorum leguntur, et anniversaria defunctorum (1). *Similiter ad tertiam ad sextam et nonam psalmi Familiares dicuntur* (2).

Ps. Deus misereatur nostri et bene:

Ps. Deus in adiutorium meum intende

Ps. De profundis clamavi ad te

℣. Requiem eternam dona eis

Pater noster: et ne nos

Or.° Deus qui caritatis dona per gra:

Or.° Da famulis et famulabus tuis

Dominica II Adventus.

Omnia ut in nostro hodierno missal. Sed post Gradale indicatur

(1) *In Capitulo* in loco scilicet ubi post Primam et ante *Pretiosa* Canonici conveniebant; ibi et festivitates Sanctorum annuntiabantur maxime pro die sequenti, et officia lectoribus, et cantoribus adsignabantur, tum et domus negotia tractabantur, denique qui admonitione aliqua forte indigerent corrigebantur. Sed hac de re eruditis viris satis cognita, infra iterum dicemus.

(2) Qui olim *psalmi familiares* dicebantur et quibus significationibus in Cangii Glossario, et Maurinorum auctariis ostenditur. E Codice vero S. Sepulchri docemur et qui recitabantur psalmi et pro quibus, scilicet pro defunctis Canonicis, et Clericis S. Sepulchri, quin etiam et pro familiaribus eorum, et benefactoribus.

sequentia haec – *Regnantem sempiterna*, et evangelium est *secundum Lucam. Erunt signa in sole et luna.*

* Hoc idem Evangelium in Capitulari Evangeliorum B. Thomasii, hac die habetur. *

Dominica III Adventus.

A. Gaudete in Domino semper
Psal. Et pax Dei que exuperat
Or.° Aurem tuam quesumus

Epistola ad Chorintios

Sic nos existimet homo
Grad. Qui sedes Domine super Cherubim
℣. Qui regis Israel intende
Alleluia. Excita Domine po:
*Sequ.*ª Qui regis sceptra:

Evangelium secundum Matth.

Cum audisset Ioannes in vinculis
Off. Benedixisti Domine terram
℣. Operuisti omnia peccata eorum
℣. Ostende nobis Domine mi:
Com. Dicite pusillanimes confor.

Dominica IIII Adventus. *Ad magnam Missam*

Memento nostri Domine
Psal. Confitemini Domino, et invo:
Or.° Excita Domine potentiam tuam.

Epistola ad Philippenses

Gaudete in Domino semper
Grad. Tollite portas principes vestras
℣. Quis ascendet
Alleluia. Veni Domine, et no:
Sequentia. Iubilemus omnes

Evangelium secundum Ioannem.

Miserunt Iudaei Sacerdotes et Le:

Off. Confortamini et iam nolite

℣. Tunc aperientur oculi cecorum

℣. Ave Maria gratia plena

Com. Ecce Virgo concipiet

Post Dominicam IIII Adventus

Fer. IIII = *Invitatorium*: Prope est iam Dominus venite = *celebramus matutinas tantum* (1) *Ymnus et antiph. et pma. diei. Et dum psalmi cantantur interim Diaconus cum ceteris ministris preparabit se, sollempnibusque vestimentis indutus.*

Finitis psalmis ordinate procedentes pueris precedentibus turibulo et candelabris portantibus. Deinde Subdiacono subsequente textum (2) Evangelii *deferente ad pronuntiandum Evangelium* missus est. *Hoc ordine venit in chorum. Et ibi a priore vel ab ebdomadario sacerdote Diaconus accepta benedictione sic in commemoratione et veneratione illius summi nuntii qui in civitatem Nazareth ad virginem mariam missus est divinitus pronuntiando in medio chori hoc*

Evangelium

Missus est Angelus Gabriel : De cuius omelia fiunt tres lectiones

℟. Clama in fortitudine. *Quod a cantore incipitur. Et ab eodem* ℣. canitur.

℣. Super montem excelsum asc.

℟. Orietur stella ex iacob

℣. Et adorabunt eum omnes

℟. Modo veniet dominator do.

℣. Orietur in diebus ejus iu.

℟. Egredietur dominus et preliabitur

℟. Et elevabitur super omnes

(1) Unum nocturnum intellige.

(2) *Textus* , liber seu codex Evangeliorum vocabatur etiam sine ullo addito.

In Vigilia Natalis domini solas matutinas et solam missam in meridiem facimus (1)

Invitatorium

Hodie scietis quia veniet

Lect. III de Evangelio

Cum esset desponsata mater

Omelia Origenis

Que fuit necessitas

℟. Sanctificamini hodie

℣. Hodie scietis quia veniet

℟. Costantes estote videbitis

℣. Vos qui in pulvere estis experg.

℟. Sanctificamini filii israel

℣. Crastina die delebitur iniq.

℟. *Reincipitur* Sanctificamini

℣. *Sacerdotalis* Crastina erit (2)

---

(1) Scilicet hac die missa *matutinalis* non dicebatur, ut in aliis quibusque diebus.

(2) *Versus, quos Sacerdotales aliqui appellant post nocturna officia priscus Romanus ritus ignoravit* ℟. Thomas. Responsoriale, et Antiph. S. Gregorii PP. Tom. IV. Ed. Vezz. pag. 187.

In laudibus archichori (1) *sint parati et induti cappis paleis* (2) *excelsa voce incipiat unus*

A. Iudea et ierusalem nolite timere
Ps. Dominus regnavit decorem
A. Hodie scietis quia veniet dominus
A. Crastina die delebitur iniquitas
A. Crastina erit vobis salus dicit.
A. Levate capita vestra ecce approp.
Cap.[lum] Propter Syon. *vel* Paulus serv.
Ym. Vox clara ecce intonat obscura
℣. Crastina die delebitur iniquitas

In Evangelio (3) *Antiphona.*

---

(1) *Archichorus* Cangio est *Praecentor*, *qui Choro praeest dum sacra Liturgia peragitur*. Quae adfert exempla de Archichoro singulari nomine fortasse de eo qui Choro praeest intelligenda erunt. Qui vero in Hierosolymitana Ecclesia erant, plurali numero efferuntur, ita ut non facile is qui Choro praesit intelligendus veniat. Ut videtur, Archichori ea in Ecclesia erant, qui praecinendo primum cuiusque psalmi versiculum, illiusque cantandi modum, seu *tonum*, ut aiunt, imponebant. Ipsi etiam in aliquibus sollemnioribus festis Psalmum Invitatorium decantabant. Quid simile, quod ad utrumque, aliquibus in Ecclesiis, et hodie, observari solet.

(2) *Paleis.* Doctissimus Cangius in illam pendere sententiam videtur ut *Paleae Cappae* eaedem sint ac *Sericae*; haud vero id probant, quos adducit scriptores. Et nostro equidem Codice patet diversas a *Sericis Palleas* fuisse, et illas longe quam hae, pretiosiores. Nos vero a panno quodam ex animalium filis contexto consutas Cappas fuisse censemus. Gallicani etiam sermonis scriptores antiqui, quos Cangius adducit *Palleas* seu *Pallas* ab Oriente, et Alexandria fuisse adfirmant. Sed ulterius rem investigare non vacat.

(3) *In Evangelio.* Intellige Canticum *Benedictus* ut hoc loco, vel *Magnificat* ut alias. Haec enim Cantica ex Evangelio desumta sunt, unde cum in choro sollemniter cantantur etiam hodie Clerici cum funalibus cereis accensis adhibentur.

Cum esset desponsata

Coll.[a] Deus qui nos redemptionis nostre

Ad primam Iudea et ierusalem

Prima finita Patriarcha et omnes Canonici in capitulum conveniant ubi cum lector annunciaverit Iesus Christus in Bethleem nascitur omnes simul prostrati in terra gratias domino referunt. Finita autem lectione tractatur de servitio primitus peragendo quomodo in aliis ecclesiis autenticis iuste et sancte ordinatis illam sanctissimam noctem totam in dei laudibus expendere videntur. Post hec Patriarcha convocatis de quibusdam personis suis, priore videlicet et cantore et duobus aliis de canonicis sepulcr. dominici vadunt in bethleem. Ubi postquam pervenerint devoti intrant ecclesiam de qua verbum veritatis processit: et facta oratione in locum nativitatis ubi vera lux exorta est ciboque spiritali refecti in domo panis eadem die et in crastina similiter et more et debito plenarie reficiuntur. His itaque vesperis pulsantibus Patriarcha cum suis et aliis de ecclesia preparant se et totum officium ipsa nocte et in crastina et prisca consuetudine peragitur. Celebrata igitur ibi tante sollemnitatis misteria et facta statione (1) *que ab antiquis patribus scilicet ab ordinatoribus officii nostri comuni consilio personarum et assensu totius capituli dominice resurrectionis instituta est. sicut in die purificationis sancte marie ad templum domini. In die ascensionis in montem oliveti. In die pentecostes ad montem syon. In assumptione beate dei genitricis Marie in valle Iosaphat: sic et in ceteris ecclesiis hec supradicta statio habere plenarie digno-*

---

(1) *Statio* maxime a *collecta* distinguenda. Haec enim locum sive ecclesiam designabat, quo Populus conveniebat (*colligebatur*) et unde ipse cum Episcopo, et Clero sollemni ordine procedebant ad aliam Ecclesiam ubi permanentes *stabant* ad sacram Synaxim celebrandam. Hoc loco, vero nomine *stationes* dicuntur; verum alibi Codicis scriptor *Collectam* cum *Statione* confudisse videtur, cum scripsit *ad portam Refectorii stationem fieri*,

scitur. Vesperis autem de die celebratis ierusalem leti et incolumes et cum gaudio revertuntur

Antiphona

Ad terciam

A. Hodie scietis quia veniet
Cap. Videbunt gentes virtutem
℣. Crastina die delebitur iniqu.
℟. Crastina erit vobis salus di.

Ad sextam. Antiphona.

A. Crastina die delebitur in.
Cap. Propter hoc sciet populus
℣. Crastina erit vobis salus di.
℟. Hodie scietis quia veniet do.

Ad Missam Archichori sint parati cappis. Introitus.

Hodie scietis quia ve.
Psal. Domini est terra et
Coll.[a] Deus qui nos redemptionis

Lectio Isaye prophete.

Ep.[la] Propter Syon non tacebo

Post Lectionem statim incipitur Epistola ad Rom.

Paulus servus Christi vocatus
℣. Hodie scietis quia veniet
℟. Qui regis israel intende

Si dominica fuerit.

Alleluia. Crastina die de.

Evangelium secundum Matth.

Cum esset desponsata mater
Off. Tollite portas principes vestras
℟. Domini est terra et plenitudo
℟. Ipse super maria fundavit
℟. Revelabitur gloria domini

Ad Nonam Antiphona.

A. Crastina erit vobis salus
Cap. Super montem excelsum asc.
℟. Hodie scietis quia veniet do.
℣. Costantes estote videbitis

Ad vesperas Cantor vel unus de duobus Archichoris festive incipit hec. Antiph.

Rex pacificus magn.
Ps. Laudate pueri dominum lau.
A. Magnificatus est rex pacificus
Ps. Laudate deum omnes gentes
A. Scitote quia prope est regnum
Ps. Lauda anima mea dominum
A. Levate capita vestra ecce appro.
Ps. Laudate dominum quoniam
A. Ecce completa sunt omnia que
Ps. Lauda ierusalem dominum
Cap. Paulus servus christi Iesu voc.
℟. Iudea et ierusalem nolite timere
℣. Costantes estote videbitis au.
Ym. Veni redemptor gentium
℣. Tamquam sponsus dominus
A. Dum ortus fuerit *vel* orietur sicut sol salvator mundi
Coll.[a] Deus qui nos redemptionis nostre.

Archichori dicant Benedicamus

Ad Completorium

A. Miserere mihi domine et exau.
Ps. Cum invocarem exau.

Ym. Salvator mundi domine qui

℣. Custodi nos domine ut pup.

A. Completi sunt dies marie ut

In Die natalis Domini

Ad matutinum invitatorium IIII in Cappis

Christus etc.

(Psal. et antiph. ut hodie)

Leguntur lectiones in cappis palleis, similiter et unumquodque ℟. *a duobus cantatur in cappis palleis.*

Lect. I Primo tempore. *Lect. II* Consolamini. *Lect. III* Consurge.

Cum autem hec lectio legitur altaria a duobus Presb.ris cappis palleis indutis incensantur quod idem tertio fiat ad I.am et ad VI IXque lectionem. Mos iste incensandi fit in omnibus duplicibus festis (1).

(Cetetera ut hodie.)

Primum evangelium Diaconus antiquior

Exiit edictum *lect. VII.*

℟. Beata dei genitrix

℣. Beata que credidit quoniam

Secundum evangelium cuius est ordo.

Lect. VIII. Pastores loquebantur

Episcopus leget si presens aderit vel Archiepiscopus

℟. Beata viscera marie virg.

℣. Dies sanctificatus illuxit nobis

Tertium evangelium Dominus Patriarcha.

In principio erat verbum

℟. In principio. ℣. Quod factum est

---

(1) In quovis officio IX lectionum ad singula Nocturna thurificabatur olim Altare S. Petri , et in nocturnis Stationibus ad singulas Lectiones. Romanus Canonicus cap. 39. Ita B. Thomas. Opp. Edit. Vezzosi T. 4. pag. 94. nota B.

℟. *vel* Verbum caro factum

℣. In principio erat verbum

Interim preparatus diaconus cum processione veniat ante altare. Inclinato capite brevem faciat orationem. Tunc diaconus offerat thus patriarche ad benedicendum et postea accepta benedictione cantet evangelium secundum mattheum. Liber generationis Iesu Christi. *Quo finito inchoat Patriarcha* Te Deum laudamus te dominum. *Dehinc sine mora dominus Patriarcha preparet se ad missam cum ministris. Finito* Te deum laudamus *Dopnus Patriarcha dicat hunc versiculum* : Verbum caro factum est.

Mox incipitur missa.

Dominus dixit ad me filius

Psal. Quare fremuerunt gentes

Kirie eleison. Pater creator omnium

aliud Kiri. Sapientia. Gloria in excelsis

Coll.[a] Deus qui hanc sacratissimam noctem

Acolithus. Prophetia Isaye prophete

Populus gentium qui ambu.

Subdiaconus. Epistola ad Titum.

Apparuit gratia dei Salvatoris

℟. Tecum principium in die virtutis

℣. Dixit dominus domino meo se.

Alleluja. Dominus dixit ad me

Prosa. Sequentia. Nato canunt omnia

Evangelium secundum Lucam.

Exiit edictum a Cesare Augusto

Credo in unum deum patrem

Offer. Letentur celi et exultet terra

℣. Cantate domino canticum novum

Preph.[o] Quia per incarnati verbi misterium

Sanctus sanctus sanctus. Agnus dei qui

Com. In splendoribus sanctorum ex utero

Quo dicto incipiuntur laudes ex illa parte cuius est septimana

(Psal. et antiph. ut hodie)

Capitulum ymnus vers. non dicuntur sed mox a prelato ecclesie incipitur.

Gloria in excelsis deo et in terra

Psal. Benedictus dominus deus israel

In his laudibus non finiuntur antiph. cum iubilo (1)

His dictis sequitur oratio Da nobis quesumus domine

Ite Missa est. *Cum hec* dicuntur

Ille cuius est ordo cum aliis ministris preparet se ad missam. aliquis episcopus si aderit, si non subprior.

Lux fulgebit hodie

Psal. Dominus regnavit decorem

Kirie eleison. Orbis factor

Gloria in excelsis Deo et in terra

Coll.ª Da quesumus omnipotens deus

Memoriam S. Anastasie.

Da quesumus omnipotens deus

Prophetia Isaye Acolithus.

Spiritus domini super me eo quod

Epistola ad Titum. Subdiaconus

Apparuit benignitas et gra.

℣. Benedictus qui venit in no.

℣. A domino factum est istud

---

(1) *Iubilum* sive *Neuma* quid proprie sit, luculenter docet B. Iosephus Thomasius Opp. Tom. IV. Ed. Vezzosi pag. XXVII. Praefat. Scilicet erat protractio inarticulata cantus ultimae vocalis sive *Alleluia* sive *versiculi*, aut antiphonae. Nos italice fortasse dixerimus *gorgheggi*, *gorgheggiare*.

Alleluia. Dominus regnavit
Sequentia. Sonent regi nato
Vel Celeste organum hodie

Evangelium secundum Lucam

Pastores loquebantur ad invicem
Credo in unum deum
Off. Dominus firmavit orbem
℣. Mirabilis in excelsis
S.tus S.tus S.tus Agnus dei
Com. exulta filia syon lauda
Ite Missa est

. . . .

Missa matutinalis in hac die non dicitur. Si natale domini in dominica evenerit. Ad processionem cantabitur. O maria iesse virgam. *Si necesse fuerit* ℣. descendit de celis tamquam sponsus dominus

Ante portam refectorii fit statio et dicitur oratio. Qua finita incipitur ℣. in principio. *Cum* ℣. *si necesse fuerit* Verbum caro factum est *cum* ℣. Pueri ℣. Benedictus qui venit in nomine domini *or.* Deus qui salutis eterne beate marie

. . . .

Ad magnam missam dopnus Patriarcha cum ceteris ministris preparatur honorifice. Omnis chorus in cappis sericis. Cantor incipit introitum.

Puer natus est nobis
Psal. Cantate domino. Kirie eleis. Clemens rector
Ym. Te Christe supplices exoramus
Festivus sonus dicatur (1)
Gloria in excelsis deo et in ter.

---

(1) H. e. sollemni, et festivo cantu.

Or.° Concede quesumus omnipotens deus

Lectio Isaye Prophete.

Propter hoc sciet populus

Epistola ad hebreos

Multifariam multisque modis

℟. Viderunt omnes fines terre

℣. Notum fecit dominus salut.

Alleluia. Dies sanctificatus

Prosa. Christi hodierna pangimini

Evangelium secundum Ioan.

In principio erat verbum et

Credo in unum deum patrem

Off. Tui sunt celi et tua est terra

℣. Magnus et metuendus est dominus

℣. Misericordia et veritas precedent

℣. Tu humiliasti sicut vulneratum

Preph.° Quia per incarnati verbi mi.

S.tus S.tus S.tus — Agnus Dei qui tollis peccata

Com. viderunt omnes fines terre *

---

* Omittuntur cetera; non enim integrum exscribere codicem in mente fuit.

Feria IIII in Capite ieiunii (1)
Lect. de evangelio cum ieiunatis
℟. Angelus domini. *. cumque exten.
℟. Deus domini mei. *. Deus in cuius
℟. Veni hodie. *. igitur puella
Sacerdos *. fiat misericordia
In laudibus an.[a] amplius lava. *psl.* miserere.
Cap.[lum] Convertimini. *In evangelio an.*[a] cum ieiunatis nolite.
Or. Concede nobis domine quesumus

Ad primam hymn. ana. psl. ut supra. Missa matutinalis Requiem eternam *sicut est. his quatuor diebus ad horas* an.[a] psl. Cap. *non mutantur. Ad III. Cap.*[lum] Convertimini ad *Coll.*[a] presta quesumus fidelibus. *Ad VI. Cap.*[lum] Clama ne cesses *Coll.*[a] Protector noster.

Post primam descendit dominus patriarcha in Capitulum. ibique omnibus canonicis et fratribus laicis congregatis facit sermonem. Quo finito dicit confessionem. Postea sine cantu dicuntur VII psalmi penitentiales omnes prostrati . . . . , ...
.... *gloria patri et sine letania. Quibus finitis dicatur antiphona* Parce domine *vel* intret oratio. Kirie eleis: III Pater noster *et cap. et orationes que conveniunt. A Patriarcha similiter dicentur. his expletis tractatus de ecclesiastico officio et de negotio domus, si autem alicuius fratris aliqua negligentia emendanda sit prius emendetur. Post VI vero Patriarcha et omnis conventus in unum*

---

(1) Quam hodie feriam IIII *cinerum* olim *in capite ieiunii* dicebatur, quasi ipsa feria IIII, et quae sequuntur aliae tres praeparatoriae ad Quadragesimam essent. — *Nonnullorum* est consuetudo advenientes quadragesimam dies devotione ieiunii praevenire — Quae S. Maximi Taurinensis verba cum sequentibus recitat B. Thomasius in opusculo, quod Tom. VII. pag. 187. a claris. Vezzosi editum fuit. An vero ideo in capite ieiunii dicta fer. IIII, quia hac die poenitentibus poenitentia imponebatur ieiunium scilicet, ut sic quadragenum ieiunium servarent usque ad fer. V. in coena domini, quando absolutionem recipiebant? Sed videant eruditi.

conveniant et interim pulsetur unum de maioribus signis donec omnis populus conveniat. Tunc ab ebdomadario Sacerdote aqua benedicta facta et patriarcha induto alba tunica et dalmatica ascendit in montem Calvarie ibique facit ut dictum est sermonem ad populum. Postea a diachono confessione dicta et populo respondente et a Patriarcha facta absolutione atque data benedictione descendit in chorum in locum suum. His expletis benedicuntur cineres. Deinde aspergitur aqua benedicta et super hominum capite cineres imponuntur dicendo. Memento quia cinis es etc. *Cantor vero incipit hanc antiphonam.* Exaudi nos deus, *que cantatur cum psalmo et gloria tribus vicibus. Postea secuntur cetere due an.* Iuxta vestibulum *an.* in tentatione ℟. ostende, parce domine *vel* merorem facimus. *His namque dictis cineribusque datis et penitentes ut ratio postulet ex ecclesia proiectis* (1) *processione parata ibunt circa ecclesiam vel per Claustrum cantando letaniam vel secundum pristinam institutionem an.* ecce nunc: *cum predictis antiphonis et cum* ℣. Paradisi portas ℣. scindite cor: *Non fit statio usque in choro Cap.* non secundum *Coll.ª* parce domine *vel* preces populi *si dicta non fuerit.*

Ad Missam

Misereris omnium : *Psal.* miserere. *Post oremus diaconus dicit* flectamus genua. *Coll.ª* presta domine fidelibus, *hec sola epistola Iohelis prophete* Convertimini ad me. *Resp.* Miserere mei ℟. misit de. ℣. Domine non secundum, *hic dicitur ab hac die usque ad dominica passione in fer. II fer. IIII fer. VI.*

Evangelium secundum Matth.

Cum ieiunatis nolite fieri :

Off. exaltabo te *cum suis* ℟.

Prephat. Qui corporali ieiunio vicia, *que dicitur per totam qua-*

(1) En antiquissimi S. Ecclesiae ritus reliquiae eiiciendi ab ecclesia poenitentes in capite ieiunii, et postea in caena Domini eosdem reconciliandi.

dragesimam usque ad . . . . Comunio Qui meditabitur. *Diaconus* benedicamus

. . . .

Dominica in ramis palmarum

Post resurrectionem Lazari ante sex dies pasche Dominus veniens ierusalem premisit duos ex discipulis suis ut adducerent ei asinam et pullum. Tunc. . . . .

. . . .

. . . . *Dominus Patriarcha cum thesauro* (1) *ecclesie S. sepulchri lignum mirifice crucis secum deferente cum priore ecclesie montis Syon et montis Oliveti et Abate S. Marie de Iosaphat et congregationibus earum post matutinum ante solis vadit in Bethaniam, ubi dominus suscitavit Lazarum. inde ipse facta oratione et qui cum eo sunt induti sollempnibus vestibus domincis vestigiis ierusalem revertuntur. Et Patriarcha Crucem dominicam propriis manibus portans hymnos et antiphonas sollempnitate congruentes tam ipse quam alii decantant. Qui in ierusalem remanent videlicet conventus dominici sepulcri et sancti ioannis hospitalis et sancte marie Latine et montis syon ad templum domini conveniunt cum omni populo. Ibi unus ex episcopis et si non fuerit episcopus prior predicti sepulcri vel subprior aut unus ex maioribus vel ebdomadarius quia illa ebdomada comunis est et altera sequens. Similiter comunis et de pentechostes comunis et de nativitate similiter comunis super flores palmarum et ramos olivarum facit benedictionem inde omnes. procedunt occurrentes cruci dominice in valle iosaphat. Postquam omnes hinc et illinc conveniunt ordinatis processionibus electis sociis. quatuor aut quinque aliquantulum ante alios procedunt. cantor incipit antiphonam.* Ave rex noster, et postea *ipse et socii eius et omnes pariter flectentes ge-*

---

(1) Lege *Thesaurario.*

nua contra dominicam crucem et contra patriarcham prosternuntur. Surgentes interim incipiunt Ave rex noster *et iterum tertio. Similiter ex alia parte quatuor aut quinque alteri contra sepulcrum et contra templum cantant* Ave rex noster *ceterique flectunt genua. Tunc omnes simul cantant* Fili David. *et sic finita antiphona. Qua finita cantor et socii eius cantant.* Pueri hebreorum. *Et dum istam cantant antiphonam omnes qui sunt ex alia parte flectunt genua. Quibus erectis illi quatuor aut quinque et alii qui sunt a parte Patriarche cantant eandem antiphonam* Pueri hebreorum. *hac antiphona ter cantata aliam antiphonam.* Pueri hebreorum vestimenta. *ter cantatur alternatim a cantoribus genua flectentes* (aliquot versus non leguntur.) . . . .

Portam auream cantando de sollempnitate (1)

Antiph. Ceperunt omnes turbe

Cum appropinquaret

Cum audisset populus. *et ceteras. et cantor incipit antiphonam de sollempnitate* Ante dies pasche. *Tunc subcantor et magister schole* (2) *et pueri cum ipsis ascendunt super portam per quam dominus Iesus adveniens introivit et ibi expectant donec ingressi congregentur. Quibus congregatis solus cantor incipit hanc antiphonam* Gloria laus et honor. *Et chorus inferius respondent* Rex Christe. *Et soli pueri cantant versum . . . . . . et ceteros. Quibus finitis pueri incipiunt vel Patriarcha* ℟. Ingrediente domino. *Mox ordinata processione ingredientes atrium templi domini descendentes per gradus contra templum salomonis et per alios gradus ascendentes contra sepulchrum domini ad meridianam partem. ibique ordinata processione faciunt stationem Cantor incipit antiphonam* Collegerunt. *Finita antiphona Vers.* u-

---

(1) Videtur *de sollemnitate* usurpari pro *sollemniter*.

(2) Scilicet *scholae cantorum*. Magister igitur scholae, qui alio etiam nomine *Prior scholae* dicebatur, cantorum ordini praeerat, eosque in cantu regebat.

nus autem *et cantabitur antiphona* a *IIII vel V clericis quibus iussum fuerit* ℣. ne forte. *his finitis cantor incipit.* Circumdederunt me. *Deinde unaqueque congregatio dividitur ad locum suum.*

Ad III hymn. Nunc sancte nobis spiritus *ant.*[a] Pueri hebreorum tollentes. *cap.* Faciem meam non averti. ℟. fratres mei. ℣. amici. ℟. intende. *or.*° omnipotens sempiterne. *Ad Missam sacerdos diachonus Subdiachonus casulis coccineis induuntur.*

Int. Domine ne

Psl. Deus deus meus respice:

Or.° Omnipotens sempiterne deus

Epistola ad Philippenses

Hoc sentite in vobis quod

Secundum Mattheum

Scitis quia post biduum

In omnibus passionibus non dicitur dominus vobiscum *nec* gloria tibi domine. *Sic incipit diaconus* Passio domini

Credo in unum Deum

Off. in perpetuum *cum suis versi:*

Com.° Pater si non potest

Fer. IIII *cessant hore de S. maria ac psal. familiares et omnium sanctorum commemoratio deinceps usque ad clausum pasche* (1)

In cena domini ad tenebras (2) *et ad horas sonantur cymbala* (3)

---

(1) Scilicet *Dominicam in Albis*, qua die Paschalium Festivitatum clauditur soll emnitas. Vide Cangium verbo *Pascha clausum* ubi Benedictini PP. merito adnotarunt potius *Clausum Pasche* dicendum, sic enim in pluribus habetur MSS.

(2) *Ad tenebras*, idest ad officium, etiam hodie quod dicimus, tenebrarum — *His enim diebus ecclesia tenebras colit, et matutinas in tenebras finit* — ait Durandus lib. 6. Rat. Cap. 72. num. 2.

(3) *Cymbalum* fere sinonymum *Campanae* est. Durandus vero lib. 1. Rat.

sicut in festo usque ad Missam. Deinde signorum sonitus intermittitur usque in vigilia pasche scilicet ad adventum ignis (1). *In cena domini, et VI fer. et Sabbato non dicitur* domine labia mea aperies *nec* deus in adiutorium *nec* gloria patri, *nisi ad introitum misse nec invitatorium nec* iube domne. *nec* et ne nos *nec* tu autem *nisi in capitulo* : *nec fit iubilus in fine antiphone nec dicitur* benedicamus *nec* titulus *ad lectiones* . . . . . . *Lucernaria triginta quatuor* (2) *in his tribus diebus* . . . . . *secretarii* (3) *iussu thesaurarii ut tot ad tenebras accendant lucernas quot finienda sunt* . . . . . . tot extinguantur.

Cetera omittuntur, utpote hodiernis ritibus fere consona. Post antiphonam ad Benedictus legitur sequens peculiaris ritus, a variis Galliarum Ecclesiis forte traductus. Videatur Martenius de ant. Eccl. Rit. lib. IV. cap. XXII.

Qua finita duo pueri dicant Kirie eleison *unus* in dextro *choro et alter in sinistro. Qui in dextro erit prior dicat* kirie eleison. *deinde alter* kirie eleison. *deinde qui dextera est* kirie eleison . . . . *Deinde*

Cap. 4, in quo a Campana differat optime docet. Sic enim inquit — *Nota sex esse genera tintinnabulorum, quibus in ecclesia pulsantur, in triclinio idest in refectorio. Cymbalum in claustro Nola in choro Nonula seu dupla in horologio, Campana in Campanili, signum in turri* — Videtur hinc *Campanile* caussa minoris altitudinis a *Turri* differre.

(1) De igne caelitus in Ecclesia Hierosolymitana olim descendente in Sabbato maioris Hebdomadae infra aliqua cumulabimus.

(2) *Trigintaquatuor lumina* habet quoque Carnotense S. Ioannis Ordinarium, testante Cl. Martenio de antiq. Eccl. Rit. lib. IV. Cap. XXII. Ceterum diversarum ecclesiarum diversa fuit consuetudo. Hierosolymis vero non candelae, ut hodie, accendebantur, sed *Lucernaria* seu *Lucernae*. Singulare illud est, quod triangulum illud, quo candelae accenduntur, Lyciensi in Ecclesia *Barabbas* dicebatur; ut ex eiusdem Breviario.

(3) *Secretariorum* nomine hic accipiendi qui hodie Italice *Sagrestani* appellantur. *Secretarium* enim quae hodie *Sacristia* vocatur.

duo canonici vel retro vel iuxta altare stantes cantent ℣. qui passurus advenisti. *Deinde alii duo in medio chori stantes dicant.* Domine miserere nostri. *deinde chorus.* Christus dominus factus est. *Puer qui erit in sinistra parte dicet* Kirie eleison. *et qui in dextera* kirie eleison. *deinde qui in sinistra.* Christus. *Qui iuxta altare sunt dicant.* Qui . . . . . *Qui in medio chori.* Domine miserere. *Chorus.* Christus Dominus factus. *Deinde puer qui est in dextera* kirie eleison *sicut prius*: *Qui iuxta altare.* Qui expansus cruci. *Qui in medio choro* Domine miserere. *Chorus* Christus Dominus. *Puer alta voce dicit.* Mortem autem crucis. *Tunc unusquisque dicat* pater noster *et* miserere. Respice quesumus domine super hanc. *Similiter* et omnes *alie hore huius diei cum hac sola collecta* Respice quesumus domine *finiantur*: *Expleta oratione dominus Patriarcha vel prior facit sonitum trina percussione sedis sue dans scilicet signum ut lumina accendantur. Simili ordine fiat in sexta feria et sabbato excepto quod prostrati manebunt in pavimento et* est Coll.ª

. . . .

Post tertiam pulsetur maior campana ad congregandum congregationes canonicorum monachorum clericorum laicorum. Facto conventu processione parata ibunt ad sanctam mariam montis syon. Patriarcha cum crucibus et . . . . discoopertis. et ampullis novis cum claro et limpido oleo in linteis sericis involutis. ibi unaqueque congregatio adducit diaconum et subdiaconum paratos ad confectionem sacri chrismatis. et omnes sacerdotes parochiales sicut ad cantandam missam et priores et abates et episcopi similiter omnes erunt induti sollempnibus indumentis. Hic dominus Patriarcha sermonem facit et finito sermone Archidiaconus introductis penitentibus adducet ad Patriarcham. Tunc incipiet septem psalmos penitentiales sine letania et faciet absolutionem (1). *Deinde cantor incipiet officium.* Nos autem gloriari oportet. ki-

(1) Quae antiqua in Christi Ecclesia feria hac V *in coena* Domini, sive *in na-*

rie eleison *cum archichoris suis sollempniter et Patriarcha* Gloria in excelsis deo. *Coll.*[a] Deus a quo et iudas *Epistola ad Chorint*: Convenientibus vobis in unum ℟. Christus factus est. ℣. propter quod: *Recantatur Evangelium secun. Joan.* Ante diem festum sciens. Credo in unum deum. *Offe.* dextera domini. *Post offertorium dicatur secreta et prefatio.* Qui salutem humani. Sanctus, *sequitur* Te igitur *usque ad eum locum.* Intra quorum nos consortium n. e. *et antequam dicatur* per quem hec omnia *offeratur oleum ad ungendos tam infirmos quam mirgumenes* (2). *Post benedictionem olei eodem ordine quo ascendit reportatur et missa suo ordine peragatur usque benedictiones episcopales solvantur. Quibus finitis* pax domini *dicitur. Tunc Patriarcha expectante venient duodecim presbiteri de sepulcro beate marie* . . . . *ordinata processione quantum opus sit ad deferendum cum omni decore oleum chrismale insuper cathecumenorum et neophytorum, usque ante Patriarcham. Sint autem omnes parati in casulis et sollempnibus vestibus induti. et primum ordinent se ita. Duo aco-*

---

tali Calieis, ut olim etiam dicebatur, sublimia, et coelo digna peragebantur! Eo die scilicet, quo publice poenitentes peccatores Ecclesiae Christi reconciliabantur. Qui sancti, et augusti ritus! qui gemitus! quae tum poenitentium ipsorum, tum et adstantium suspiria, quae lacrimae! Qui animorum sensus! Quin etiam et quod gaudium! qui amplexus! quae oscula! cum perditi antea peccato homines ad Deum eiusque Ecclesiam revertebantur. Siccis sane oculis, nec corde, visceribusque immotis legi potest admirabilis illa Archidiaconi adlocutio apud B. Thomasium, dum poenitentes Pontificis ad pedes totiusque coetus obvolutos exhiberet. Merito illa Leoni Magno tribuitur, cum illius stili maiestatem redoleat. Vides lector nostro in hoc Codice veteris vestigia formae, unde et dolet non integrum ritus modum in nostro Codice legi. An fortasse quia pauci tum erant, qui sponte etiam sua publice peccata confitentes Dei misericordiam, fideliumque implorabant, ita ut disciplina illa in desuetudinem declinaret! At vero in Christi Ecclesia ritus mutantur, non vero, quae ritu ipso significantur.

(2) Librarii error. Lege *energumenos*.

lithi accipientes ampullas vel subdiaconi que ad Chrisma et ad oleum cathecumenorum consecrari debent involutas cum sindonibus de albo syrico ita ut videri possint a medio. teneantur in brachio sinistro proiectis sindonibus super scapulam sinistram ita ut pertingant ad dexteram quando possint dependentia retineri. et procedant ita. Primum ambulent duo acolithi cum candelabris et ardentibus cereis quos subsequuntur duo subdiaconi portantes ampullas cum predictis oleis. deinde procedunt due cruces post eas portentur duo turibula cum incenso et inter eas ut prediximus medium oleum chrismale et post oleum cathecumenorum. deinde portatur evangelium. postea sequuntur bini, et bini illi duodecim presbiteri testes et cooperatores eiusdem sancti chrismatis misterii concinentes hos versus quos pueri cantabunt et tum cantor incipit, o redemptor, *sic autem venientibus in choro versibusque finitis ordinentur se lectores hostiarii acolithi. et subdiaconi stent in ordine suo. facta benedictione descendit sicut ascendit. similiter et fiat de oleo cathecumenorum. in unaquaque ecclesia tot in hac missa consecrari debent hostie ut sufficere possint usque ad sabbatum comunicanti . . . . . Agnus dei non dicitur et pacis osculum non datur . . . . . ministri altaris . . . . . fratres a maioribus usque ad minores superpelliceis induantur . . . .*

. . . . *Post hec cantor* dominus iesus postquam, *quo finito mox incipiuntur vespere sine* Deus in adiutorium. *a.* calicem salutaris *ps.* Credidi propter quod *sine* gloria *et sine laus* tibi domine *et in fine antiphone non fit iubilus A.* Cum his qui *Ps.* Ad dominum *A.* Ab hominibus iniquis *Ps.* Eripe me *A.* Custodi me. *Ps.* Domine clamavi. *A.* Considerabam *Ps.* Voce mea. *Quibus finitis ille qui* calicem *incepit incipit A.* Cenantibus autem *Ps.* Magnificat anima. *Tunc dicit* pater noster *postcomunio cum* dominus vobiscum Diaconus : benedicamus domino *vel* ite missa est *propter consecrationem* . . . . .

. . . . . . interea elemosynarios clericos (1) vel laicos pauperes iuxta numerum congregationis fratrum, vel eo amplius si magistris ecclesiae placuit. in una parte claustri sedere et collocare eos faciat eorumque pedes ministris suis Prior abluere facit hac considerata discretione ne quis eorum pedes habeat leprosos cancerosos vel scabiosos propter quorumdam infirmorum delicatorum animos. ut tantum sacramentum non cohactum vel non ex animo fiat. sed spontaneum. His omnibus expletis brevi facto intervallo helemosinarius trina tabule percussione fratres convocat et confestim cum ceteris fratribus paratis batillis (2) et pelvibus cum aqua linteisque et manutergiis. dominus prior linteo precinctus antecedit eumque ex suo choro fratres. primi seniores. novissimi minores sicut sunt in ordine. subsecuntur cantantes. Ps. miserere mei deus. *hunc incipit dominus prior, et finitur cum* gloria. *Dehinc hoc officio finito dicitur.* dominus vobiscum oremus actiones nostras quesumus domine. *atque finitur* per christum dominum nostrum. *Dum hec oratio dicitur fratres omnes coram pauperibus capita sua more adorantium (3) humiliant enim pro certo in ipsis venerantes qui cum*

---

(1) Vox *Elcemosinarius* hic ut et ab aliis scriptoribus infimae aetatis usurpatur ad significandam et qui eleemosynam distribuit, et qui accipit.

(2) *Batillis.* Vocabulum hoc ab Horatio, et Plinio usurpatur ad significandum vas quoddam concavum ad excipiendas prunas Horatio, ad argentum igne adhibito purgandum Plinio. Italice, *coppella.* Atque ex eo reprehensus Cangius a Benedictinis, quod vocem latinam barbaris sociaverit. In nostro vero codice manifeste *Batillus* accipitur pro urceolo ad effundendam *aquam* super pedes pauperum, italice *Boccale, Brocca.*

(3) Digna res quae observetur, *adorationem* non genuflexione, aut prostratione, quae potius precantium ritus sunt, sed *capitis humiliatione* etiam solitam in Ecclesia fieri. Male ergo etherodoxi contra SS. Eucharistiae adorationem argumentantur ex eo quod in antiquis ritualibus nulla praecipiatur genuflexio.

dives esset pauper pro nobis fieri dignatus est. finita oratione incipit cantor. Mandatum novum do. Ant.[a] Dominus iesus cum cena: *Psal.* Beati immaculati *Ant.*[a] postquam surrexit *Ps.* Deus misereatur. *Ant.*[a] si ego dominus *Psal.* Dilexi quoniam *Psal.* Credidi propter. *Ant.*[a] In hoc cognoscent *Ps.* magnus dominus et cet. *cum suis psalmis et dum illos cantando finiunt pauperibus ibidem iuxta numerum fratrum vel eo amplius ut predictum est ab elemosinario sicut mos est congregatis illorum pedes canonici abluunt et capillis eos tergunt et osculantur osculantes quorum singulis bas et sotulares* (1) *distribuunt. et his omnibus expletis prior incipit* kirie eleison. pater noster. et ne nos. Ostende nobis. Suscepimus deus misericordiam. tu mandasti mandata tua. tu lavasti pedes discipulorum. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto domine cum cet. *Dehinc ab Helemosinario in refectorio deducuntur. ibique sicut fratres Canonici eiusdem ecclesie reficiuntur. Hoc autem mandatum pauperum antiquitus facere solebant post reversionem de processione montis syon et postea reficiebantur quod autem modo faciunt ante processionem. In hac die pulsatur cymbalum in refectorium. fratres ut conveniant ad prandium et pulsata campanula. Post mense benedictionem cybum a deo donatum accipiunt. Cum igitur hora collationis* (2) *appropinquaverit omnes in ecclesia conveniant ibique sacer-*

---

(1) *Soturales* sive *sutilares* calcei sunt a Latino *sutor* sic dicti. *Bas* vero intellige *Tibialia* Ital. *calze* Gallice *Bas*. In charta an. 1272. apud Cangium legitur *Baas*. Vide hac voce.

(2) *Collationem* non immerito quis diceret ei, quae nunc *Ricreazione* Italice dicitur, recreandi scilicet animum post prandium, sive coenam quodammodo similem fuisse. In his porro collationibus, ut patrum nostrorum religionis fervor erat, de sacra Scriptura aliquid, de vitis Sanctorum, seu de moribus afferebatur in medium; unde quam celeberrimae Cassiani Collationes.

dotibus diaconibusque indutis albis abluuntur altaria (1) *hec cantando* ℟. In monte oliveti. ℣. verumptamen ℟. Tristis est anima ℣. vigilate. ℟. ecce vidimus. ℣. vere langu. ℟. circumdederunt. ℣. quoniam. *quibus finitis Patriarcha cum ceteris fratribus canonicis vadunt ad locum constitutum scilicet in Capitulum. ibique ab helemosinario cum ministris suis paratis pelvibus et linteis ex more mandatum peragitur cantando has antiphonas.* Mandatum novum. *Ps.* Credidi *A.* cum surrexit *et ceter.*. *Tunc preparato Diacono et dalmatica induto subdiacono quoque tunica induto ut textum portet evangelicum preeuntibus candelabris et turibulo veniunt de ecclesia in locum ubi fit mandatum. ubi a Patriarcha diaconus accepta benedictione dominicum sermonem legit in modum lectionis. in cena ad discipulos habitum. ita incipiens.* Ante diem festum Pasche: *usque dum* dixit surgite eamus hinc. *Tunc precedente processione omnes refectorium ingrediuntur unusquisque locum suum velud hora prandii ingreditur. Facta benedictione a patriarcha.* Benedictus dominus in donis suis. *iterum Diaconus legit quod restat de sermone. terminato vero sermone atque finito sine* Tu autem *cum silentio ad ecclesiam redeunt. ibique diaconus cum ceteris ministris vestimentis ecclesiasticis depositis in refectorium redeunt et sicut ceteri fratres poculo caritatis reficiuntur* (2) *et inde regressi in ecclesia dicunt. ad completorium.* Confiteor

---

(1) Ritus denudandi, et lavandi altaria in fer. V. Coenae domini antiquissimus est, eiusque mentionem facit S. Isidorus. Vid. Marten. de Ant. Eccl. ritibus lib. 4. Cap. 22. P. 7.

(2) *Poculum charitatis* dictum fuisse tradit Cangius convivium quo amici excipiuntur. Haud porro videtur hac significatione hoc loco sumendum, sed potius *potum* vini ad reficiendas vires. Id vero in medio relinquimus. In Ordinario Remen. apud Martenium legitur sic: cum vero ventum fuerit ad illum locum lectionis *surgite eamus* hinc, surgunt dapiferi nostri cum aliquot de subdiaconibus et vinum praeparatum extra Capitulum de cellario domini Archiepiscopi, deferunt domino Archiepiscopo primum, et postea omnibus qui in Capitulo sunt.

deo et beate *Ps.* Cum invocarem *ps.* In te domine. *Ps.* Ecce nunc benedicite *Ps.* Nunc dimittis. *Capitulum non dicitur. Coll.ª* Respice domine super. . . . .

. . . .

. . . .

Parasceve pasche id est VI fer. ante pascha ad tenebras et ad horas pro signis fiat lignorum sonitus quando fratres ad tenebras excitantur et facta trina oratione ab omnibus cum genu flexione. A secretario luminaria sicut V feria accendantur et extinguantur ut in cena domini et fiat in Sabbato et prostratis fratribus dicta oratione dominica tenebre inchoantur.

* Quae sequuntur utpote hodiernis fere similia omittuntur. *

In fine matutinalium laudum cantetur kirie eleison *et cet. ut supra finiet quisque secum , et prostrati dicant* kirie eleison : pater noster et miserere. Oremus. Respice quesumus domine super hanc familiam tuam.

Dum laudes cantantur sancta crux cum omni reverentia clericis preeuntibus candelabris et turibulo portantibus in monte calvarie a thesaurario defertur. in loco ubi Christus pro nostra salute passus exponitur. finito vero servitio ibi a patriarcha et ab omni conventu canonicorum cum devotione et nudis pedibus supplicando deum adorando venerantur. Et ab illa hora usque ad horam collationis ab omni populo ibi devote similiter adoratur. hora autem collationis expleta ad locum suum reportatur. Oblationes autem que ipso die offeruntur a patriarcha esse dignoscuntur.

Ad primam huius feriae VI sequentia adnotantur

In hac die capitulum non ingrediuntur usque in sabbato. Appropinquante vero diei hora tertia et sexta fit a secretario sonitus lignorum similiter hora nona. Post horam nonam Patriarcha et ceteri fratres intrant ecclesiam et prosternunt se in oratione. expleta oratione incipitur officium Ps. Legem pone. *Tertia sic incipitur secundum predictum de*

prima et cetere hore diei, his tribus diebus in fine Ps. pro gloria dicitur miserere nostri domine miserere nostri ℟. vinea mea ✠. ego quidem ✠. diviserunt sibi. *Coll.ᵉ vero ut supra. hore autem relique simili modò continuantur. ante officium dicuntur ad VI A. tamquam ad latronem* ✠ filius quidem ✠. insurrexerunt. *finiatur ut supra. Ad IX A.* Barabbas latro. ✠. ecce turba ✠. ab insurgentibus.

Ad officium in hac die legat unus subdiaconus in superpelliceo lectionem ita incipiens. In tribulatione sua. *finita lectione sequitur* ℟. domine audivi auditionem. *Post tractum dicitur oratio sine* dominus vobiscum *et genuflexione* oremus Deus a quo Iudas. *Post orationem subdiaconus paratus de alba tantum legat aliam lectionem sine titulo* Dixit Dominus ad Moysen. ℟. Eripe me domine. *Quo finito mox Diaconus legat Passionem. Finita passione dicuntur orationes sollempnes cum genuflexione. Quibus expletis accipiat Diaconus et Subdiaconus vel alii duo Canonici presbyteri rubicundis cappis induti crucem velatam retro altare canendo* ✠. popule meus. *Respondeant duo clerici stantes iuxta sinistrum cornu altaris* agios o theos *cum trina genuflexione. Chorus* Sanctus deus sanctus fortis *flectentes genua tribus vicibus. Item qui inceperunt* ✠. quia eduxi te. *Parati vero* agyos *Chorus* sanctus. *Iterum predicti* ✠. quid ultra debui. *Duo* agyos. *Chorus* sanctus deus. *Postea reveletur crux et deferent eam duo predicti ante altare et ita dant Sacerdoti qui celebrat officium. Tunc ipse alta voce incipiat antiphonam..... et sistunt eam in primo gradu ante altare super pallium. Subsequitur cantor* ℟. Beati immaculati *donec* usquequaque. *Deinde aliam A.* Crucem tuam domine *Ps.* . . . . *usque* fines terre. *Postea incipiatur hymnus* Pange lingua: *hymnus* Lustra sex qui, *et per singulos versus* Crux fidelis: *et interim prosternunt se omnes ante crucem in oratione. adorata vero cruce ponatur in cerophorio* (1) *in alto loco choro*

---

(1) *Cerophorium.* Deest vox haec in Glossario Cangii. Videtur basis aliqua fuisse cereis cincta, in medio quorum Crux assurgebat, ni potius placeat in eo altaris gradu poni crucem, quo accensi cerei collucebant.

canenie suaviter (1) Super omnia. *Tunc unus ex Canonicis qui crucem detulerunt si Sacerdos fuerit dicat* oremus Respice domine. *Dominus Patriarcha vel ipse qui celebrat missam recalciant se* (2) *et veniant ad altare ad celebrandam missam. In hac die patriarcha cum cantore et suis clericis celebrat officium in montem calvarie. Postea afferat Subdiaconus calicem cum esterno corpore domini et cum vino non consecrato et aqua et cum corporali precedente candelabro sine thuribulo et ponat eum super altare in corporali uno parvo linteamine coopertum: Posito itaque domini corporis sacramento super mensam. accedat sacerdos ad altare et dicat suaviter audientibus quibusdam.* Oremus. preceptis salutaribus moniti *etc.* Pater noster *etc. deinde* libera nos quesumus domine *etc. Interim dum dicit* da propitius pacem in diebus nostris *osculatur patenam. Dum vero dicit.* Per eumdem dominum nostrum iesum Christum. *facit more solito infractionem. Cum autem dicit* per omnia secula seculorum, *eam partem dominici corporis que remansit in dextra ponit in calice nihil dicens. et exinde comunicat se et ceteros* (3). *Agnus Dei non dicitur nec pacis osculum datur. Post hec quisque secum dicat. Ad vesperas* calicem. * Cetera a nobis omittuntur * (4).

---

(1) *Suaviter:* id est *remissa voce* docentibus Benedictinis in Auctariis ad Cangium.

(2) *Recalciant* resumunt scilicet ante deposita calceamenta. Non legitur apud Cangium vox huiusmodi.

(3) Qui mirabitur quod in Praesanctificatorum Missa, dicantur *ceteri* quoque praeter celebrantem *communicasse*, is legat Martenium de Ant. Eccl. rit. lib. 4. cap. 2. num. XVI, et Mabillonium in Comm. praevio ad Ordinem Rom. In Ordine enim I et in eius Appendice manifeste dicitur *et communicant omnes cum silentio.* Saeculo IX exsolevisse Romae mos hic videtur, sed in quibusdam aliis Ecclesiis Galliarum maxime fuit servatus, ut ex Martenio discimus.

(4) Uti Lectoribus ritus in Praesanctificatorum Missa in die Parasceves vetustiores, scilicet qui in Hierosolymitana Ecclesia saeculo XII adhibebantur, tum et recentiores saeculi XIIII ineuntis, necnon et hodiernos simul comparare liceat, hic adiun-

Sabbato Sancto

Hora sexta Patriarcha cum personis suis subfraganeis et ceteris clericis intrat Ecclesiam et ascendit in revestiarium ubi se preparat cum

---

gimus ritus qui in Ecclesia Melphictensi, et Rubastina adhibebantur. = Fuerunt vero utraque in Ecclesia pene similes. Sic igitur in Mss. Missali Melphictensis Ecclesiae. = *Dum supradictae* (scilicet hymni Lustra sex) *strophe cantantur Palla super tobalea extenditur et corporale a Diacono super pallam sacerdos vero corpus domini quod pridie fuerat reservatum in loco convenienti reverenter ponit super patenam et corporali parvo plicato cooperuit. Finita autem crucis adoratione sacrista vel alius ad hoc assignatus reponit crucem in loco suo super altare et accendit luminaria circa altare et accendit* (*). *Postea obmissa confessione consueta* Sacerdos *cum ministris ad altare accedit. deinde dyaconus cum ministris abiens ad locum dominici corporis ibidem preparat calicem cum vino puro. Quo taliter preparato patenam cum corpore domini cooperto diligenter superponit. Tunc ad altare hoc ordine procedunt. Primo procedit unus cum thuribulo fumigantem , quem secuntur. duo portantes luminaria demum subdyaconus ampullam aque. post hos venit diaconus deferens calicem cum corpore domini. Cum autem ad altare ventum fuerit dyaconus tradens calicem subdiacono accipiens patenam cum corpore Christi offeret Sacerdoti qui ipsum nihil dicendo collocet super altare et super corporale. Cumque dyaconus resumpserit calicem Sacerdos accepta ampulla de manu subdyaconi aquam vino puro commiscet in calicem nihil dicens. diaconus calicem collocat in altare et corporali cooperit neutro aliquid dicente. Quo expleto more consueto fit incensatio a Sacerdote dicente* Incensum istud etc. *postea inclinat se dicens* in spiritu humilitatis. *Consequenter dicit in nota consueta absolute.* oremus preceptis salutaribus moniti et divina etc. Pater noster. *Chorus respondet.* sed libera nos a malo = Cetera omittuntur utpote hodiernis similia. Nulla in utroque Missali elevationis hostiae mentio , et in utroque adnotatur orationem *Domine Iesu Christe fili*

(*) Rubastinus habet et melius *circa altare* omisso repetito *accendit.*

Archiepiscopis Episcopis abbatibus prioribus et ceteris ministris ad celebrandum in hac sanctissima nocte tam sanctum officium. his ita ordinatis precedentibus candelabris venit in sede sua, et antequam aliqua oratio dicatur. Lect. I In principio creavit deus celum. *Ista et omnes alie sine titulo leguntur et greca et latina lingua pronuntiantes* (1) *Or.°* Deus qui mirabiliter creasti. *Lect.° II* Noe vero cum quingentorum = *Or.°* Deus incommutabilis. *Lect. III* Temptavit deus Abraham: *Or.°* Deus fidelium lumen. *Lect. IIII* Factum est in vigilia. *Tractus.* Cantemus domino *Or.°* Deus cuius antiqua. *Lect. V* hec est hereditas *Or.°* Omnipotens sempiterne. *Lect. VI* Audi Israel mandata *Or.°* Deus qui ecclesiam tuam. *Lect. VII* Facta est super me. *Or.°* Deus qui nos ad celebran. *Lect. VIII* Apprehendent septem. *Tract.* Vinea facta est. *Or.°* Deus qui in omnibus

---

Dei vivi ante communionem non dici, *quia facit de sanguine mentionem.* In Rubastino vero adduntur et lotio manuum post incensationem et *orate fratres* post orationem. In spiritu humilitatis etc. Ex dictis porro patet Ecclesias nostras penitus illorum respuisse opinionem qui in Praesanctificato Parasceves, ex mixtione corporis Christi vinum in sanguinem consecrari censebant. Vid. Mabillonius *Mus. Ital. T.* 2. Com. praev. n. XIII.

(1) XII lectiones in vigilia Paschae et Pentecostes et quidem Latina, et Graeca lingua in Ecclesia Romana recitatas olim fuisse pluribus probat documentis eruditissimus Marten. de Antiq. Eccl. rit. lib. IV. cap. XXIV, quamvis aliis in ecclesiis varius fuerit earum numerus. Utrum vero XII Graece, et ipsae XII etiam latine legebantur, an potius sex latine et sex Graece ut Durandus ait, ex nostro codice non satis liquet. Hanc consuetudinem utroque sermone has cantandi lectiones ex Beletho apud Marten. discimus maxime in Graecia viguisse *et in illa parte Italiae quae vocabatur Magna Graecia*, in nostris scilicet regionibus. Lectiones autem ipsae in appendice Barolitani codicis leguntur, et duodecima, ut quae maiori cantabatur (ut usque ad aetatem nostram) sollemnitate, habet etiam musicas notas adpictas.

Lect. IX Dixit dominus ad moysen. *Or.°* Omnipotens sempiterne Deus. *Lect. X* Factum est verbum domini ad Ionam. *O.°* Deus qui diversitatem. *Lect. XI* Scripsit moyses Canti. *Tractus.* Adtende celum. *Or.°* Deus celsitudo. *Lect. XII* Nabueodonosor. *Or.°* Omnipotens sempiterne deus. *Tract.* Sicut cervus desiderat. *Or.°* Omnipotens sempiterne deus respice. *Hec oratio post tractum dicitur.*

Dum autem hec lectio Nabuchodonosor *legitur patriarcha consideratis quibusdam personis tribus aut IIII et de peregrinis si presentes adfuerint honestate et religione pollentibus: quos ad tantum misterium exsequendum estimat digniores ad incredulorum hesitationem refutandam et fidem confirmandam ad locum ubi sancta crux exponitur mittit. Quibus autem precipit ut de omnibus pravis commissis suis confessione pura expiati ad officium sibi iniunctum peragendum vivificam crucem secum baiulantes ire non differant. Igitur cum lacrimarum effusione et cordis contritione nudis pedibus candelabris et turibulo preeuntibus devotissimi incedentes sacrosanctum locum dominice resurrectionis humiliter adeunt. Interim vero cantatur letania a quatuor maioribus, et antiquioribus Ecclesie Canonicis sive de personis* (1) *si adfuerint. sic incipit.* kirie eleison. Domine miserere. *quoadusque tam expectatum tamque desideratum miraculum divinitus missum adveniat. Predicti autem nuntii sibimet conscii tante virtutis ac incomparabilis miraculi misterium exequantur trepidantes. Sed tantum divinam clementiam recolen-*

---

(1) Cum vocabulo *personis* adiiciatur *si adfuerint* facile erit conicere non de Canonicis, aut de Capituli dignitatibus, aut de Ecclesiasticis viris dignitatem habentibus et praerogativam in choro et capitulo, illud intelligendum esse, sed vel de Episcopis vel etiam de laicis viris dignitate aliqua eminentibus, qua significatione illo usi sunt vocabulo veteres scriptores, ut apud ipsum Cangium videri est voce *Persona.* Supra dictum fuit *Patriarcha cum personis suis subfraganeis.*

tes et misericordiam expectantes patriarche iussis obtemperare student. Facta namque confessione et oratione statim discalceatis pedibus monumentum domini psallendo cum lacrimis devote incedendo. Vivificam crucem secum deferendo vel ter quater circuire non desistunt. Multitudo autem plebis ibi ex diversis nationibus coadunatam clamosas preces et voces flebiles fundentibus deum interpellare non desinit quorum precibus et lacrimis servorum suorum placatus celestis ignis missione plebem suam letificare solita pietate dignetur. Tandem dignior personarum lignum salutiferum in manibus tenens venit cum suis ad ostium monumenti, et inclinato capite flectendo genua intus prospiciant ignem advenisse sperantes. Sed tamen aliquando spe frustrati cum gemitu et dolore et lacrimarum effusione recedunt. Et iterum sacrosanctum Christi sepulcrum sex vicibus aut septem orando et flendo circuire satagunt. Plebs autem universa ibi diversarum nationum congregata hec videntes ingentem clamorem ad sidera mittit et fletus accumulare non desistit. Sepius vociferando kirie eleison. *Denique qui sanctam crucem portat summa cum devotione et cordis compunctione cum suis monumentum ingreditur. Inventoque igne quem divina clementia de celis mittere suis precatoribus dignata est, cereum suum cum timore et tremore gaudenter accendit. Deinde Patriarcha regi si presens fuerit et ceteris omnibus ignem deferre vel mittere festinat. Quo miraculo viso Patriarcha pre gaudio lacrimando incipit* Te Teum laudamus *duobus maioribus signis pulsantibus* (1). *Quo finito secundum preceptum et voluntatem domini F.* (2) *patriarche ignis celestis, et benedictus cereus quo-*

---

(1) De hoc ignis de coelo descendentis prodigio in ampliori nota agemus, quam propterea ad calcem amandamus.

(2) Nulli dubitandum hac littera F. Fulcherium Patriarcham designari, de quo supra aliqua scripsimus.

que a Diacono cantando hanc benedictionem benedicitur. Exultet iam angelica turba. *Post hec parata processione archichori sint parati vadunt ad fontes cantando letaniam. Quibus benedictis patriarcha baptizat unum in fantem ceterosque decanus. Deinde revertentes in chorum reiterantes brevem letaniam. Qua finita incipiunt archichori* kirie eleison. *Dominus patriarcha* Gloria in excelsis Deo. *Collecta cum* dominus vobiscum. *Oremus* Deus qui hanc sacratissimam noctem. *Epistola ad Cholossenses.* Si consurrexistis cum Christo. *Alleluia.* Confitemini *quod ab archichoris festive cantatur. Tract.* Laudate dominum omnes gentes. *Evangelium secundum Matth.* vespere autem Sabbati que. Credo in unum deum *et post* dominus vobiscum oremus *sine offertorio. Prephatio* Te quidem omni tempore sed in *post* Sanctus. Comunicantes , hanc igitur. *sequitur itaque totus canon misse et* Pater noster *et* pax domini. Agnus dei *non dicitur , nec pacis osculum datur nec comunio dicitur. Statim incipit cantor* alleluia. Laudate dominum omnes gentes *cum* Gloria *et eo dicto inchoet antiph.* vespere autem sabbati. *Psal.* magnificat *cum* Gloria. *in fine antiph. non fit iubilus , sequitur postcomunio* Spiritum nobis domine *et dicitur a Diacono* ite missa est. *Item sabbato sancto vigilia Pasche lectiones sine titulo leguntur , et orationes sine salutatione dicuntur que cathecumenos ad baptismum instruunt et propterea eas sine titulo leguntur cives enim ierusalem nondum cognoscentes divinum misterium auctores ideo scripturarum.* . . . .

. . . . . . (1). *Ad missam post epistolam legitur* alleluia confitemini, *postea sequitur tractus qui a comuni choro cantatur scilicet laudate dominum* Alleluia *vero ab archichoris tantum. Interim diaconus cum ministris suis ascendit pulpitum ad legendum evangelium precedente turibulo et textu sine candelabris sed tantumodo tymiama vel incensum aromatixatum scilicet propter mulierum imitationem aroma-*

(1) Quod lectiones in Sabbato sancto sine titulo legantur hanc affert Durandus

ta portantium. Credo in unum deum *dicitur a quibus pretermittatur* (1). *Interim a subdiacono textus evangelii hodierna die et in cunctis sollempnitatibus quibus* credo *cantatur ad osculandum primo presbitero missam celebranti deinde diaconis et personis si iuxta eum steterint postea per chorum turibulo precedente circumfertur. Sequitur* dominus vobiscum. *Oremus sine offertorio reducendo ad memoriam silentium et sacrificium mulierum. Iccirco cantores et cet. silent in tempore sacrificii quia tunc earum sacrificium tale erat. Quod ferebant odoriferum unguentum ad corpus domini perungendum et cet. ut supra ad completorium Ps.* Cum invocarem. *Ps.* In te domine. *Ps.* Ecce nunc benedicite. *Ps.* Nunc dimittis. *alleluia alleluia.* Spiritum nobis domine (2).

Huc usque que de officio Sabbati Sancti ex codice Barolitano excerpsimus. Cum vero in eiusdem Codicis appendice legatur *Ordo ad Cathecumenum faciendum*, etiam aliqua ex eo excerpere, et hic addere visum, cum in sabbato sancto potissimum neophyti et infantes baptizaren-

---

caussam = Lectiones quae Christi gloriam et doctrinam significant idcirco carent titulo quia cathecumeni dum non sunt cives iherusalem et scripturas ignorant, et nomina civium iherusalem ignorant. Unde et eis nominarentur nomina doctorum veteris vel novi testamenti forte potius contemnerent, quam venerarent. Carent etiam titulo quia Christus caput nostrum nondum redditum est nobis etc. = Ex hoc Mimatensis Episcopi loco emendandus et supplendus noster codex.

(1) Locus sic emendandus = *dicitur etsi ab aliquibus* (ut hodie) *praetermittatur*. Durandus =. *quaedam tamen Ecclesiae dicunt hac die Credo*.

(2) Hic subiungimus specialem Adnotationem, quae in Hierosolymitano Codice, quam nunquam alibi legisse reminiscimur. Haec vero est: *Inter Pascha et Ascensionem sive pro uno martyre sive pro pluribus debemus dicere singulariter* Filie hierusalem venite et videte Martyrem cum corona non Martyres cum coronis: *hoc enim de Christo intelligitur, qui statim post resurrectionem habuit coronam idest societatem Martyrum, et ideo singulariter dicendum est* non pluraliter.

tur. In hoc vero monetur exorcismos, insufflationes, orationes, ante fontis baptismalis benedictionem adhibendos esse, eo quod ad Cathecumeni praeparationem magis quam ad Baptismum proprie dictum pertineant. *Pronunciata* igitur *oratione in immissione Cerei in fonte mox* sacerdos interrogabat nomen infantis et responso accepto rursus interrogabat an renuntiaret Satanae et operibus eius et pompis eius, deinde interrogabat de fide ut etiam nunc moris est. Denique Sacer. *Quid petis* ⁊ baptismum. *Inter.* vis baptizari ⁊ volo. *Quesito quo nomine accipiat infantem et mergat eum in aqua sub trina immersione dicens.* Ego te baptizo in nomine patris *et mergat caput* et filii *et mergat pedem* et Spiritus sancti amen. *et mergat totum corpus.* Tunc accipiant *eum fideles et extrahant eum de aqua usque ad umbilicum. Cum autem surrexerit de aqua faciat Sacerdos crucem de Chrismate in vertice eius* etc.

Observandum quoque venit, in Ecclesia Hierosolymitana tunc saltem cum primo scriptus Codex, ritum perdurasse, ut in aliis etiam Ecclesiis, quo statim post Baptismum infantes etiam confirmabantur. Statim namque post supra indicatam baptismi formam subiungitur. *Ordo ad confirmandos infantes.* Cum vero forma huiusmodi sacramenti eadem pene sit, ac quae hodie servatur, et in Pontificali Romano legitur, non hic dandam putavimus. Legitur quoque in nostro codice = Baptismum (sic) *ad succurrendum* (1): est autem huiusmodi:

---

(1) Beatus Thomasius lib. I. Sacr. Rom. Eccl. T. V. Opp. vulgavit ordinem *ad succurrendum infirmum cathecumenum* necnon et *Benedictionem aquae ad succurrendum*. Orationes vero et ritus ab iis quae in nostro codice leguntur sunt diversae. Quae vero leguntur apud Martenium in citato pluries opere lib. I. cap. 1. Art. 18. ex Mss. Codice Parthenonis. etc. et ex alio Bibliothecae Colbertinae utroque ante an. M. scriptos penitus consonant cum nostris, excepto quod in nostro aliqua desiderantur. Ceterum *Ordo ad succurrendum* et *baptismus ad succurren-*

Medelam tuam deprecor domine sancte pater omnipotens eterne Deus qui subvenis in periculis qui temperas flagella dum verberas. Te ergo domine supplices deprecamur ut hunc famulum tuum N. *eruas ab hac invaletudine ut non prevaleat inimicus usque ad anime temptationem. Sicut in iob terminum ei pone ut inimicus de anima ista sine redemptione baptismatis incipiat triumphare. Per etc.*

Exorcizo te creatura aque in nomine domini nostri iesu christi filii dei et sancti spiritus si quod fantasma, si qua virtus inimici, si qua incursio diaboli eradicare explantare atque effugare ab hac creatura aque ut fiat fons aque salientis in vitam eternam ut cum baptizatus fuerit hic famulus domini fiat templum dei vivi in remissionem omnium peccatorum in nomine domini nostri iesu Christi qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

Nunc vero, ceteris omissis, nec enim omnia exscribere vacavit, nec integram liturgiam Hierosolymitanam edere placuit, ea subiungimus, quae ad officium in diebus Rogationum pertinent, ut et quae ad Ascensionis festum, et Pentecostes spectant.

— *In his tribus diebus et usque post octabas pentecosten missam facimus commemorationem de cruce vel de resurrectione. Si interim festum alicuius sancti venerit fit de eo commemoratio. Post VI vadit processio ad templum domini et fit processio et missa ut in letania maiore ut prescriptum est. Letania a duobus cantatur* Parce nobis domine. *Cum que redeunt ad Ecclesiam in reditu. in introitu ecclesie illi qui canunt letaniam dicant* Agnus Dei. *Postea Cantor incipit* Christus resurgens . . . . *cum qua intrant Chorum Puer vero* Surrexit Christus *Collecta de resurrectione domini. deinde dicitur missa.*

. . . .

dum, idem significant, formam et ritus scilicet Baptizandi Cathecumenum infirmum, et morti etiam proximum.

. . . .

Fer. III. *Post sextam vadit processio ad montem Syon cantando antiphonas prescriptas. In introitu ecclesie incipit Cantor antiph. vel respons. de Sancta Maria* (1) *et intrat Ecclesiam. Puer vero* Ora pro nobis sancta dei etc. *Collecta de comunibus. Deinde vadunt ad sanctum spiritum cantando antiph.* Spiritus domini replevit totam *cum versu. Puer vero* emitte spiritum tuum. *Collecta de comunibus. Deinde redeunt in choro et ibi dicitur missa* . . . . *Finita missa statim incipitur a duobus letania* . . . . *sicut est in libro cum qua redeunt ad sepulcrum* Agnus Dei *et cet: ut in precedenti die* etc.

Feria IIII. *in vigilia ascensionis* (omittuntur alia) *vadit processio ad Sanctum Stephanum. In introitu Ecclesie incipit cantor* Ecce iam coram te *vel* ave senior Stephane : *puer vero* ora pro nobis beate Stephane. *Or.°* Omnipotens sempiterne deus qui primi : (2) *Ad missam* omnes gentes pla. *Ps.* Subiecit populos nobis *Or.°* Presta quesumus omnipotens deus pater ut nostre. *Epistola Actuum Apostolorum* Multitudinis credentium. *Alleluia* omnes gentes plaud. *Evangelium secundum Ioannem:* Sublevatis Iesus oculis: *Off.* Viri galilei quid admiramini ℣. cumque intuerentur in celum: *Com.°* Pater cum essem cum eis. *Post missam incipitur a duobus letania* Kirie eleison Christe eleison : domine miserere, *cum qua reditur ad sepulchrum. In introitu Ecclesie* Agnus dei *et cet.* omnia ut supra.

In ascensione domini (omissis ceteris). *Post Capitulum vadit processio ad montem oliveti* cantando ℟. ite in orbem universum ℣. signa

(1) In monte Sion erat Ecclesia B. V. Mariae nomine Deo dicata.

(2) Digna quae notetur res est, quod et in Missale Gothico, et in Gallicano veteri *Collecta* habeatur etiam de S. Stephano in rogationibus. Vide B. Thomasium Opp. T. VII. pag. 307 et 414.

autem eos qui crediderint: *cum autem venerit ad montem oliveti in Ecclesia que dicitur pater noster congregabuntur omnes processiones* (1) *ubi sollempnibus vestimentis omnes induti procedunt inde ad processionem. et vadit processio circa ecclesiam dominice ascensionis cantando versus.* Salve festa dies toto m: (2) *cumque venerit ad gradus per quos ascenditur ad ecclesiam dimittuntur versus et cantatur ℣.* Viri galilei quid: *cum versibus quod incipitur . . . . Cantatur . . . . Tunc ascendunt processiones ad ecclesiam. Deinde Patriarchas sermonem facit ad populum. Si non fuerit presens unus Episcopus aut prior Ecclesie sancti spulchri vel cui ipse iniungere voluerit. Quo finito incipitur tertia* etc. Missa fere ut hodie unde et omittitur.

In vigilia Pentecostes legitur rubrica de Letania *septena*, *quina* et *terna*, quae in antiquis ritibus celebris, cum aliquantulum diversa sit ab iis, quae in aliis antiquis Liturgicis libris habetur, hic ex nostro codice dandam censemus.

Litania septena sic fit. Quinque clerici in medio chori stantes induti cappis sericis singillatim dicant Kirie eleison *et chorus hinc et inde.* Qua finita incipitur *letania quina, que sic fit. tres clerici singillatim chorus hinc et inde. Qua incepta vadit processio ad fontes. hac quoque finita benedicuntur fontes quibus expletis incipitur terna letania et redit processio in choro que sic fit. Duo Clerici simul dicant, et chorus hinc et inde . . . . tota finiatur letania. Interim dominus Patriarcha diaconus et subdiaconus.* Cetera deleta in Codice.

In Patriarchali Ierosolymitana Ecclesia idibus Iulii celebrabatur *Fe-*

(1) Scilicet variis ex Ecclesiis, quae Hierosolymis erant et quibus Clerus aliquis, vel Monachi inserviebant.

(2) Hymnus hic, qui tribuitur Fortunato Episcopo Pictaviensi legitur apud B. Thomasium in Hymnario etc. Opp. Tom. II. Ed. Vezzosii.

stivitas quando fuit Hierosolyma capta a Christianis, qua die coincidebat etiam festum dedicationis Ecclesiae S. Sepulcri. Quae pauca officii huius festi legi possunt hic damus: *Ad vesperas Capitulum*: Surge illuminare Ierusalem quia venit lumen tuum et gloria domini super te orto est: *Or.°* Omnipotens sempiterne deus qui dedisti famulis: *Antiph.* venit lumen tuum *ad* magnificat: *Or.°* Deus qui invisibiliter omnia contines: et tamen pro salute generis humani signa tue potentie visibiliter ostendis :: ecclesiam hanc et civitatem sanctam ierusalem potentia tue visitationis illustra ut omnes qui huc deprecaturi conveniunt ex quacumque tribulatione ad te clamaverint consolationis tue beneficia consequantur. Per etc. . . . .

Ad laudes Cap.^lum^ Filii tui de longe. *Ad Evangelium antiph.* Beata sit creatrix et gubernatrix trinitas: *Or.°* Omnipotens sempiterne Deus. *Ad primam Cap.^lum^* Filii tui de longe venient, et filie tue. *Cap.^lum^* Surge illuminare *Or.°* Omnipotens sempiterne deus edificator et custos Ierusalem . . . . . custodi diu noctuque locum istum cum habitatoribus suis, et intercedente beata dei genitrice maria cum omnibus sanctis.

. . . .

.. En etiam aliqua ad festum Assumtionis B. Marie semper Virginis spectantia.

Ad vesperas Assumtionis.

Paradisi porta per quam cunctis clausa et per mariam virginem . . . . patefacta est alleluia. *Magnificat.* Deus qui virginalem aulam = *Cap.^lum^ in laudibus* Ego quasi vitis suavitatem o. *Antiph. ad Benedictus.* Que est ista que ascendit sicut aurora consurgens pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Or.°* Veneranda nobis domine huius diei festivitas opem conferat salutarem in qua sancta dei genitrix

mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit que filium tuum dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui te cum (1). *Ad tertiam* ut *vel* in omnibus. Protege domine famulos tuos subsidiis pacis et beate marie patrociniis confidentes a cunctis hostibus redde securos. per dominum. Ad VI. *Cap.* Et radicavi. Beata et gloriosa etc. Cap. ad IX In plateis etc. *Or.*° Sempiterne Deus nos famulos tuos dextera potentie tue a cunctis protege periculis et beata maria semper virgine intercedente fac nos presenti gaudere prosperitate et futura etc.

Hactenus quae ex Hierosolymitana liturgia potissimum seligenda putavimus; nunc aliqua alia addere placet, quae lectoribus haud ingrata futura confidimus, et primus sit

Ordo quando oratur pro infirmo ad mat.

Ad horas. Beatus qui intelligit *cum Gloria*
Kirie eleison Christe eleison et Kirie
Pater noster. et ne nos.
Cap.[lum] (2) Salvum fac servum tuum

---

(1) Haec ipsa Oratio legitur in Breviario Lyciensi (de quo in Praefatione) in die Assumtionis. Legitur quoque et hymnus, qui habetur in Hierosolymitano, et est ut sequitur = O quam glorifica luce coruscas: stirpis davidice regia proles: sublimis residens virgo maria supra celicolas eteris omnes. Tu cum virgineo mater honore: celorum domino pectoris aulam; sacris visceribus casta parasti: Natus hinc deus est corpore Christus. Quem venerans orbis adorat; cui nunc rite genuflectitur omne: a quo nos petimus te veniente: abiectis tenebris, gaudia lucis. Hoc largire pater luminis omnis: natum per proprium flamine sancto: qui tecum nitida vivit ire ethera regnans et moderans secula cuncta. Amen.

(2) Cur, qui hodie a nobis versiculi dicuntur, hic *Capitula* vocitentur, haud satis scimus. Fortasse ex eo nomen quia breves lectiones sive preces a solo Sacerdote dicendae. Ceterum *Capitula* inscribuntur etiam similes versiculi in Pontificali Narbonensi, et in visitatione infirmi etc. apud Marten. Tom. I. Cap. 7. Art. 4.

*Cap.*lum Esto ei domine turris fortitudinis
*Cap.*lum Domine exaudi vocem meam
*Or.*o Omnipotens sempiterne deus salus eterna
Alia Deus infirmitatis humane
Ad I psal. Ad dominum cum tribularer
Ad III psal. Levavi oculos meos
Ad VI psal. Letatus sum in his
Ad IX psal. Ad te levavi oculos
Ad Vesp. Nisi dominus edifi.
*Ad Comp.*lum *Psal.* Qui confidunt
Cetera ut supra

Missa pro infirmo quando pròximus est morti.

Circumdedisti me = *Or.*a Omnipotens sempiterne deus conservator animarum periculis. *Deinde cantatur collecta que fit in missa matutinali sicut in ordine prius pro vivis postea pro defunctis pro Patriarcha et pro rege. Ep.*la Locutus est Isaias (1). *Ep.*la Querite dominum dum inveniri. *A.* Miserere mihi domine. Conturbata. *Alleluia* de profundis clamavi. *Evang.* Respiciens iesus in discipulos dixit: habete fidem dei. *Off.*m Miserere mihi domine. Agnus Dei qui *III et pax datur Com.*e redime me; Benedicamus domino.

De infirmis.

Cum aliquis frater congregatione potitus cepit egrotare debent frares ceteri pro eo orare et mutuis eum exortationibus confortantes coti-

(1) Sumta haec lectio ex Cap. XXXVIII Isaiae ubi de Ezechia aegrotante. Ceterum non duplex Epistola, sed ad libitum una aut altera.

die alternis vicibus crebrius visitare. et cura illius uni alicui debet iniungi qui similiter administret ei et cantet sibi matutinum (1) *et ceteras horas diei. Qui si cognoverit eum viribus corporis ceptum destitui nuntiet domino priori et ceteris fratribus. Mox igitur ut nuntiatum fuerit dato signo cum omni festinatione omnes ad monasterium conveniant. Ibique ebdomadario alba et stola induto accipientes aquam benedictam et thuribulum cum duobus candelabris et oleo infirmorum sine mora ad locum quo infirmus iacet perveniatur. Quo cum pervenerit antequam domum introeat, si interfuerit dominus Patriarcha vel prior dicat in primis.* pax huic domui *III vicibus et ceteri fratres respondeant* et omnibus habitantibus in ea. *Simili modo intrantes domum decantentur VII psalmi penitentiales. antiph.* intret oratio *vel* ne reminiscaris *Psal.* Domine ne in furore *et ceteros cum gloria patri. In fine psalmorum oratio* Parce domine parce famulo tuo. *Postea dominus Patriarcha vel prior si fuerint sin autem ebdomadarius stola indutus dicat letaniam et cum capitularibus precibus orationes* (2). *De hinc accepta confessione ab infirmo omnes orent super eum. Antequam perungatur infirmus dominus Prior cum Sacerdote alio stola induto dicat istam orationem cum* dominus vobiscum *Or.°* Domine Iesu Christe per Apostolum tuum. *Isti autem psalmi cantentur dum sacerdos ungit infirmum: Psal.* Domini est terra: In te domine speravi: Qui habitat: Memento domine: Ecce quam bonum et quam: Confitebor tibi domine

---

(1) Apud Ecclesiasticos sequioris aevi scriptores non semper vox *cantare* pro *canere* accipitur, sed etiam pro recitare, ut pluribus docuit Cangius verbo *cantare* 2. Quod vero dicitur *matutinum* quae nunc appellantur *Laudes* intellige.

(2) Quid hee sunt *Capitulares preces?* Intellige preces illas brevissimas, ac veluti precum *capitula*, quae ante Orationes dicebantur, ut omnino sunt quae hodie post Litaniam Sanctorum ante Orationes sive ad *Primam* in diebus ferialibus leguntur.

quoniam exaudisti *vel* VII *psalmos penitentiales ut supra. Sic perungatur infirmus de oleo sanctificato faciendo cruces: Super oculos: super aures: super labia et manus exterius* (1) *et in pedes interius ut macule super V corporis sensus menti et corpori fragilitate carnis aliquando inheserint hac medicina spirituali domini misericordia pellantur. Dum Sacerdos ungit infirmum dicat.* Per istam sancti olei unctionem et dei benedictionem remittat tibi dominus quidquid deliquisti per visum per auditum per olfactum per gustum per tactum per incessum. *Deinde dominus prior et alii duo predicti sacerdotes dicant orationem que finitur per* Christum: *Or.°* Deus qui non vis mortem. *Completa itaque a patre monasterii unctione reficiat infirmum dominici sacramenti comunione et remaneat ibi unus vel duo de fratribus aliquantulum revertente ad ecclesiam processione. Post hec frater ille cui egrotantis cura commissa est ante eum sedulo assistat et sollicite provideat ut fratribus nuntietur priusquam deficiat. Qui cum viderit eum supremo spiritu constitutum quam citius poterit nuntiet fratribus. Quod cum auditum fuerit ab eis postpositis omnibus festinent succurrere fratri morti proximo. Quo dum pervenerint ubi eum in supremo spiritu positum perspexerint secretarius afferet crucem et aquam benedictam: sequitur dominus prior stola indutus. si ipse defecerit cantor incipiat Commendatio fit.* ℣. subvenite Sancti ℟. suscipiat te. sequuntur psalmi et orationes aliquot.

Et sic plenaria fiat commendatio omnibus anniversariis canonicorum. Si autem Patriarche vel alicuius regum fuerit anniversarium missa eum tractu de profundis etc. *omnia dupliciter peragentur* (2) *Tunc pro*

---

(1) De Sacerdotibus agitur, quorum manus exterius inungi et hodiernus quoque mos est.

(2) Quae a §. initio *et sic plenaria* usque ad *peraguntur* quasi intra parenthesim inclusa, legi debent. Quod autem subiungitur *omnia dupliciter peragentur* significare videtur, ut sollemniter, et more festi duplicis, ut aiunt, omnia peragerentur.

commendatione anime decantatis ex more psalmis cum orationibus egressis foras omnibus remaneant ibi duo vel tres de fratribus, et ab eisdem si necesse fuerit lavetur. proprio postmodum canonico videlicet habitu involvatur defuncti fratris corpus. Interim vero dum agitur hoc pulsentur omnia signa III (1) *et involuto defuncto fratris corpore collocetur super lectum extenso desuper pallio et sic accepta aqua benedicta et cruce cum candelabris processio revertitur ad locum quo defuncti corporis preparatur officium. Tunc incipit Cantor* etc.

Qui sequitur Ordo alter *ad visitandum et unguendum* infirmum alio loco eiusdem Codicis legitur estque a primo aliquantulum diversus. Hac vero de re aliqua inferius afferemus.

Ordo ad visitandum et unguendum infirmum qui proximus est morti.

Antequam ingrediatur Sacerdos domum infirmi faciat aquam benedictam. Deinde ingrediens domum cum ipsa aqua dicat tertio: Pax huic domui et omnibus habitantibus: *Deinde aspergat aquam benedictam dicens*: Asperges me domine ysopo = *Or.°* Exaudi nos eterne sancte pater: *sequitur antiph.* Parce domine etc. *psal.* Domine ne in furore tuo *cum letania* (2). *Post letaniam Or.°* Deus qui famulo tuo Ezechie etc. *alia Oratio*: Respice domine famulum tuum: *alia*: Deus qui facture tue: *alia*: Deus qui humano generi: *alia*: Virtutum celestium Deus: *alia*: Domine sancte pater omnipotens eterne deus qui fragilitatem conditio: *alia*: O-

---

(1) *Omnia signa* id est *Campanae omnes*, penes enim medii aevi, et infimi scriptores vox *Signum* generatim pro quocumque Campano aere usurpatur. Adiungitur vero numerus III, quia tribus distinctis vicibus pulsabantur.

(2) In hac letania inter martyres leguntur *S. Ypolitus*, *S. Dionisius* cum sociis suis, et *S. Mauricius* cum sociis suis: inter confessores vero *SS. Leo*, *Ylarius*, *Germanus*: inter mulieres vero *SS. Fides*, *Iustina*, *Eufemia*.

mnipotens sempiterne deus qui subvenisti: *hic fiat confessio* : *sequitur absolutio* : Dominus Iesus Christus qui dixit discipulis suis etc: *item*: Propicietur dominus. *item*: Omnipotens deus qui beato petro = *item*: Misereatur tui omnipotens deus = *Postea communicetur.* Corpus et sanguis domini nostri iesu Christi proficiat tibi ad salutem perpetuam hic et in eternum. Amen. (1) *Post communionem* : Domine sancte pater omnipotens eterne deus te fideliter deprecamur: *Secuntur benedictiones* Do-

---

(1) In praecedenti Ordine, qui peculiaris pro *Fratribus* Congregationis S. Sepulcri, ut praediximus, fortasse erat, dicitur tantum = *reficiat infirmum Dominici Sacramènti comunione* = Hoc vero in secunda formula expresse legitur = *Corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat* etc. Hinc consequi prima fronte videbitur, in Ecclesia S. Sepulcri, infirmis saltem sub utraque specie administratam fuisse SS. Eucharistiam. Neque hoc mirandum esset, cum aliquibus in Ecclesiis usque ad saeculum XIII communionis utraque in specie usus perduraverit. Cum vero unica formula *corpus et sanguis* uniantur facilis coniectura erit non separatim unum et alterum in Ecclesia Hierosolymitana, sed corpus sacro sanguine intinctum saltem infirmis ministratum. Quamvis vero communio corporis sacro sanguine intincti aliquando in Ecclesia Latina vetita fuerit, aliquibus tamen in Ecclesiis permansit, maxime pro infirmis. Apud Ivonem immo Concilii Turonensis Canon legitur, quo sancitum est = *omnis presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recedentibus de saeculo, quae tantum sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus et sanguis domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.* Ipse etiam Urbanus II in Claromontano Concilio ipso, quo sacra proclamata expeditio ritum huiusmodi pro infirmis permisisse videtur in Canone 28 apud Baronium ad an. 1095, hoc enim Canon habet = *Ne quis communicet de altari nisi corpus separatim et sanguinem similiter sumat nisi per necessitatem, et cautelam.* Vid. Bona et eius Adnotatorem Sala Rer. Lit. Lib. II Cap. XVIII §. III.

minus Iesus Christus apud te sit ut te defendat = *alia*: Benedicat te deus celi etc. *alia*: Benedicat te pater sanet te filius illuminet te spiritus sanctus = *alia*: Benedicat te dominus pater etc. *alia*: Sanet te deus pater qui te creavit.

Incipit unctio infirmorum.

Deus noster qui Apostolum tuum Iacobum etc.

Post collectam ungatur infirmus.

Ad oculos: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi deus quidquid peccasti per visum: *Ad aures*: per auditum: *Ad nares*: per odoratum: *Ad gustum*: per gustum: *Ad manus*: per tactum: *Ad pedes*: per gressum: *Ad umbilicum*: Per ardorem libidinis: In nomine patris, et filii et spiritus sancti. Amen. Sit tibi hec olei unctio ad purificationem mentis et corporis et ad munimen contra iacula immundorum spirituum. *Psal.* Domine clamavi ad te: *Deinde faciat ei Sacerdos crucem adorare et osculari dicendo.* Credis in Deum patrem omnipotentem etc.: *Tunc absolvat eum*: Domine Deus Salvator noster etc. *Alia Oratio.* Deus qui per Apostolos tuos: *Benedictio super eum.* Per istam unctionem olei . . . .

Et hi sunt Ordines duo ad visitandum, et ungendum infirmos. Superest ut promissa facientes ad illos aliquot hic adnotationes addamus. Quamvis vero prima videatur fronte alterum ab altero differre, quod primus ad unctionem infirmorum Sacerdotum Canonicorum proprie pertineat, alter vero ad omnium promiscue fidelium, cum in primo dicatur, quod in manibus unctio exterius facienda sit, ut in Sacerdotibus fieri assolet, in secundo vero nulla huius ritus mentio fiat: haud tamen intimitus utrumque consideranti ordinem sufficiens adducta diversitatis ratio plene suadebitur. Ritus enim in utroque diversus, diversae preces et orationes, unctiones quoque diversae et maxime cum in primo unctio extrema co-

munionem SS. Corporis Christi praecedat, in altero vero subsequatur, facile quis in suspicionem veniet primum altero antiquiorem, illumque ad veteres mores et disciplinam Hierosolymitanae Ecclesiae pertinuisse, alterum ad novam, de quibus frequens in Codice mentio habetur. Sed modo reliqua videamus. In primo unctionibus quinque sensuum altera pedum adiungitur; in altero non haec tantum sed etiam septima *ad umbilicum* additur, et cum formula *quidquid peccasti per ardorem libidinis.* Quamvis vero unctio ad umbilicum aliquibus tantum antiquis in ordinibus legatur, non tamen ea caussa, quae in Hierosolymitano exprimitur, sed fortasse, quod umbilicus veluti centrum hominis habitus sit. Multis quoque in ordinibus unctio praescribitur *in loco ubi maxime dolet*, et in antiquo Pontificali Cameracensi apud Martenium *in umbilico seu in loco ubi amplius dolet.* Tantum in Mss. Pontificali insignis Ecclesiae Apamiensis in Syria eadem pene aetate scripto qua autographum Barolitani Codicis, apud Martenium eamdem unctionem legimus, adiecta etiam eadem formula *quidquid peccasti per ardorem libidinis.* Quod si vacaret plura a nobis dicenda essent, et maxime de tempore quo unctio sacra post divinam Corporis Christi communionem dari coepta, necnon de formula absolutionis deprecatoria. Si quis vero *orationes* in sacra unctione quae in Barolitano codice indicantur tantum, integras legere voluerit, is consulat Dominum Martenium De antiquis Ecclesiae rit. T. I. ubi varii Ordines ad ungendum infirmum inveniet.

Cum vero ad infirmos, et morti proximos devenerimus opportunum erit Praeceptum, sive Statutum Willemi Patriarchae de defunctorum obsequiis, sive, ut hodie dicimus, exsequiis respicientia hic edere; estque hoc.

I.

Anno ab incarnatione domini M.CXXXIII. Indict. VI.

Ego etc. dei gratia Ierusalem patriarcha, atque Petrus dominici sepulcri prior. Canonicis eiusdem monentibus et rogantibus. Quod antecessores nostri venerande memorie viri gratia superna premoniti nostre, et successorum nostrorum saluti providentes scriptis presentibus confirmamus.

Cum fratrem nostrum videlicet canonicum qui ex ista prout natura exigit vita decesserit qui supererint fratres tredecim clericis qui psalterium singillatim et distincte legant ab elemosinario confestim accitis corpore postmodum rite honorabiliter sepulto. per *VII* continuos dies cum novem lectionibus vigiliam (1) et commendationem missam. sonitu signorum precedente pro eo comuniter celebrabunt. deinde usque tricesimum diem, quem veluti primum magnum faciendo servitium observabunt. Cum tribus lectionibus et absque commendationibus missam et vigiliam exceptis dominicis diebus: ac festis exceptis equanimiter postea compensandis in conventu cotidie decantabunt. Quicumque autem Sacerdos fuerit XXX missas. Diaconi vero et subdiaconi aut minoris si intersint ordinis decies psalterium dixerint.

Praeterea sacerdotem unum quem honestiorem invenerint qui premissa . . . . missas et vigilias assidue decantet elegerint: cui prebendam (2) comunem in refectorio sicut ipsis per annum in-

---

(1) *Vigilia* idem sonat ac hodiernum *nocturnum* quod dicimus. *Commendationes* vero generatim sunt preces, et orationes pro morientibus, et pro defunctis; quae vero hic *Commendationes* significentur ex aliis supra relatis lector intelliget.

(2) Non ut hodie *praebendae* vocabulum accipiendum, sed ea significatione ut

tegrum habendam concesserint. Pannos etiam quos frater defunctus in articulo mortis possideat cappam scilicet superpelliceum iupam (1) mantellum et pelliciam et velum unum et linteolum braccas et camisiam sutirales cum caligis . . . . in kalendario scripto et pridie quam evenerit annuatim (2) in capitulo pronuntiato solliciti observabunt et in unoquoque anno pauperem unum cibando festive celebrabunt. Canonico autem extra Ecclesiam in quacumque obedientia (3) defuncto eadem ut audierint persolvent servitia sed cum ipse languerit pannos suos post mortem pauperibus erogari iusserit et presbitero qui prebendam suam in refectorio habuerit atque pro ipso laboraverit de comuni pelliceam superpellicium necnon veterem alicuius Canonici Campum (sic) cum totis . . . . impendant et qui . . . . . . observans . . . . . defunctum . . . . . supradictum servitium per . . . . . perficiant Quicumque ergo constitutionem istam tantumque beneficium diminuendo cassare presumpserit divinis subiaceat ultionibus et fratris sui sanguis ad dominum clamet in die iudicii fiat fiat amen amen.

---

designetur cibi et potus diurna portio, quae Monachis, Canonicis, aliisve quibusvis praebetur. Vide Cangium.

(1) Quae hic recensentur vestes partim ad chori usum, ut *cappa*, et *superpelliceum*, partim vero ad usum personae eiusdem defuncti. Porro *iupa* quandoque vestis interior dicebatur quam italice *Giubba*, e *Giubbone* dicimus, hic vero potius pro veste talari accipienda videtur, ut visum etiam Cangio ex aliis monumentis. *Pellicia*, scapulare vestimentum ex pellibus, unde nomen. Quid vero *velum*, quid *linteolum* ? et *velum* quidem hic pro Lodice sive velamine, et operimento lecti Italice *coltre*, fortasse et *Linteolum* erat *Sindon*, seu ut italice dicimus *lenzuolo*, Gallice *linceul*.

(2) De anniversaria depositionis defuncti die hic agi, advertat lector.

(3) Scilicet *Cella*, *Praepositura*, *Grangia* a Conventu dependente, quo Canonici mittebantur ut earum curam gererent aut eis deservirent. Vide Cangium voce *Obedientia*.

En et aliud hic damus monumentum pactum scilicet initum.

A Patriarcha Willelmo Hierosolymitano, et Petro priore Sancti Sepulcri et eiusdem Canonicorum conventu quandam firmitatem cum domino Achardo Priore templi domini et domino Arnaldo priore montis Syon et domino Henrico priore montis Oliveti assensu et concessione Canonicorum sibi subditorum satis convenienter statuerunt. Dicamus igitur ut ad sepeliendum Canonicum nostrum si tempus congruerit cum processione sua ex quo rescierint ad ecclesiam sancti sepulcri conveniant sin autem cum duobus canonicis vel tribus veniant et nos similiter ad suum sepeliendum ibimus et debitum officium ei faciemus sic et nostre se faciant omnes sibi invicem alterutrum recompensantes. Amplius pro mortuo septenarium in conventu alterutrum facimus cum plenario servitio in septem vigiliis (1) et totidem missis sed in prima missa commemorationem et unum pauperem VII illis diebus postea cibabimus et qui presbiter in nostris congregationibus fuerit infra VII illos dies Missam unam pro mortuo privatim celebrabit. Qui vero diaconus aut subdiaconus vel clericus extiterit psalterium integrum decantabit pro eodem. In lecto egritudinis quam diu infirmus iacuerit ad missam quaque die in conventu propriam orationem ad succurrendum ei peroraverint. His ita superius gestis, et processionibus congregatis Camerarius singulis quibusque fratribus cereos vel candelas distribuat (2).

Ut autem lectores statum Ierosolymitanae Ecclesiae eiusque Canonicorum, qui utique ut supra diximus Regulares erant et regulam S. Augustini servabant, plenius cognoscere possint, hic demum ex eodem Barolitano Codice exscribere placuit sequentem *Ordinem* qui sic inscribitur:

---

(1) Id est, per dies septem *uno nocturno mortuorum* perlecto.

(2) Simile quoddam, et ampliori sermone *fraternitatis* (sic vocabant) pactum e Tabulario Flaviniacensi ann. 894 edidit clariss. Cangius voce *Fraternitas*.

Incipit ordo ad benedicendum Canonicum.

Finito Responsorio antequam incipiatur alleluia *novitius prosternatur ante altare et duobus Cantoribus cantetur letania breviter, et ubi dicitur*: Ut Patriarcham nostrum *etc. statim subiungetur*: Ut famulum tuum benedicere digneris. te rog. *Finita letania surgens benedicendus stet ante Patriarcham et dicat Patriarcha ei*: Frater vis abrenuntiare seculo et pompis eius? ℟. Volo: Vis profiteri obedientiam secundum regulam S. Augustini? Vis assumere conversionem morum tuorum? Volo: Dominus auxilietur tibi. Amen. *Postea benedicendus legit, professionem suam scriptam in una charta.*

Ego frater N. offero meipsum divine pietati serviturum in Ecclesia Sanctissimi sepulchri domini nostri iesu Christi sub canonica regula S. Augustini sine proprietate et in castitate vivere et promitto obedientiam domino Patriarchae N. et successoribus eius quos sanior pars congregationis eiusdem ordinis in ipsa Ecclesia secundum deum elegerit.

Quam perlectam mittat super caput suum et deponat super altare et prostratus dicat *tribus vicibus*: Suscipe me domine secundum eloquium tuum et non confundas me ab expectatione mea. Gloria Patri. kirie eleison. Pater noster: et ne nos: Ostende nobis: salvum fac servum tuum: Dominus conservet eum: intret oratio mea: Vivet anima mea: eram sicut: convertere domine et eripe: Ecce quam bonum: sit nomen domini: Domine exaudi: Dominus vobiscum: Presta quesumus domine.

Postea benedicit super pelliceum Or.° Domine Iesu Christe qui tegmen nostre mortalitatis induere, etc. *Hic exuat sibi cappam dicens*: Exuat te dominus veterem hominem et induat te novum: *Post ea induit ei patriarcha super pelliceum dicens*: Adesto domine etc. Deus qui beatum augustinum etc. Omnipotens et misericors deus etc. *Tunc surgat et datur ei osculum et postea cantatur* alleluia: Deus misereatur nostri: Deus in adiutorium: De profundis: kirie eleison: pater noster: Domine salvum fac regem: salvos fac servos: fiat pax: A porta inferi: Erue domine: Do-

minus vobiscum (sequuntur plures orationes, quas brevitatis caussa omittimus). *Deinde cum silentio dormitorium petant et pausent. Mox vero ut signum sonare cepit surgentes fratres ad Ecclesiam proferent. Postquam autem pervenerint prelato dante signum trinam orationem faciant. Postea sedentes cantetur canticum graduum, hoc modo primos V psalmos pro Congregatione cum gloria patri et oratione dominica et his Capitulis.* Et ne nos: Memento nostri domine: Memor esto. *Or.°* Deus cui proprium est misereri etc. *Sequentes quinque pro familiaribus cum gloria kirie et his Capitulis.* Et ne nos: Domine salvum fac regem: Salvos fac servos tuos et ancillas tuas. dominus vobiscum: Pretende domine etc. *Ultimi V pro defunctis fidelibus sine gloria et kirie.* Et ne nos. A porta inferi: Domine exaudi = dominus vobiscum: Absolve domine animas. (*)

Et haec, quae ex liturgico Codice Patriarchalis Ecclesiae Hierosolymitanae excerpsimus, sufficiant. Haud tamen a nobis ipsis obtinere potuimus quin hic veluti coronidis loco illa addamus quae in Itinerario Hierosolymitano clarissimus et doctissimus vir Castel-brandus scripsit, et quae summa cum animi nostri commotione legimus. Narrat vir celebris, cum sanctam Civitatem reliquisset, in valle Terebinthi constitisse, et retro vertisse oculos, tamquam sancto illi loco ultimum dicturum vale. Tunc haec addit, quae Gallico idiomate ita, ut scripta sunt, exscribimus = J'ai distinqué par dessus les murs le dône de l'Eglise du Saint-Sepulcre. Il ne sera plus salué par le pelerin, car il n'existe plus, et le Tombeau de Jesus Christ est maintenant exposé aux injures de l'air. Autrefois la Chrètienneté entiere seroit accourue pour reparer le sacre monument: Aujourdhui personne n'y pense, et la moindre aumône employée à cette oeuvre meritoire parôitroit une ridicule superstition. = Quis haec legens temperet a lacrimis? Manum e tabula.

(*) Ne quis, quae plura sunt, contra Gammaticae leges, vel etiam male, et aliter atque aliter scripta Typographi incuriae tribuat, monitos Lectores volumus, existimasse nos, ita, ut in Mss. leguntur, verba servare.

DE SACRO IGNE

IN ECCLESIA HIEROSOLYMITANA S. SEPULCRI OLIM DESCENDENTE

TESTIMONIA.

Ut ne fabulosa, vel quae saeculorum, quam dicunt, barbariem, redolentia existimentur ea, quae in Barolitano Codice referuntur de igne caelitus descendere solito ad lampades intra SS. Iesu Christi domini nostri sepulcrum pendentes accendendas, tum et de ritibus, orationibus, precibusque hac occasione adhiberi solitis in Sabbato S. ad flectendam Dei potentiam, non ingratam rem facturos eruditis aeque ac piis viris existimamus, testimonia tam insignis prodigii hic congerendo. Nec vero sine animi dolore in ipso Codice legere licuit, vel etiam tempore quo ille scriptus, quosdam *incredulos* fuisse. Istud vero, quod tunc temporis aliqui erant tam insignis miraculi *increduli*, testium, et maxime *oculatorum* testimonia confirmat, quod non ex vulgi rumore, aut opinione praeoccupata, nec denique credulitate caeca, sed aliquorum potius incredulitate admoniti, cautioresque effecti, re plene cognita, eaque discussa, testimonium ipsi ferrent.

Clariss. Martenius lib. IV de Antiqu. Eccl. rit. Cap. XXIV num. IX, qua solebat diligentia, plura hac de re collegit testimonia. Nos hic ea dabimus, tum et aliqua etiam supplebimus ex doctissimo Papebrochio, qui aliud agens, de Patriarchis scilicet Hierosolymitanis scribens nova quoque addidit.

Et primum quidem producimus Bernardum Monachum Francum, cuius Itinerarium circa annum DCCCLXX scriptum vulgavit cl. Mabillonius (Saec. III. Benedict. T. II.). Hic scribit: » Dicendum autem, quod » Sabbato Sancto mane officium incipitur in Ecclesia, et post peractum » officium *kirie eleison* canitur, donec veniente angelo lumen in lam-

» padibus accendatur, quae pendent super praedictum sepulcrum, de » quo dat Patriarcha Episcopis, et reliquo populo, ut illuminent sibi » in locis suis.

Bernardo concinere aît Martenius vetustissimum Ecclesiae Pictaviensis Pontificale nono saeculo scriptum, ubi in vigilia Paschae haec leguntur = *Eadem nocte Ierosolymis in Sepulcro domini lampas ab angelo illuminatur, ut veracium relatione traditur, qui nostro tempore de Ierusalem venerunt.* Sequitur Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, ubi agens de itinere Hierosolymitano Richardi Abatis S. Vitoni, haec habet = *Venit dies Sabbati sancti, quo expectabatur ignis a domino, et gentiles armati, christianis intro conclusis et beneplacitam voluntatem domini de igne suscipiendo praestolantibus totam observaverant Ecclesiam, ut si ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur: cum ecce hora circiter nona, omnibus orantibus in una lampade ignis accensus est a domino nullius mortalium suffragante amminiculo: et gentiles stupor apprehendit et pavor: Christianos vero gaudium et exultatio, ut ab omnibus tota certatim caneretur Ecclesia, Magnus dominus noster et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus.*

Testimonium Glabri Rodulphi in lib. IIII Hist. cap. 6, quod indicat tantum Martenius, nos hic integrum ex Papebrochio damus. Est autem huiusmodi = *Anno incarnati verbi MXXXIII* Arsenio scilicet Graeco Patriarcha, cum infinita christianorum multitudo, Regum quoque Comitum et Praesulum peregrinabatur *Odorlicus Aurelianensis Praesul illic pergens, quid viderit nobisque narraverit, non praetermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab universo populo praestolatur, ibi cum ceteris idem praesul astabat. Iamque die ipso in vesperum transeunte, repente penes horam, qua sperabatur ignis adfuturus, unus saracenorum scurra impudentissimus ex plurima illorum multitudine, quae annuatim cum Christianis semper adesse solet, exclamavit, ut Christianis mos est, Agios kirie eleison et cavillanter cachinnum emisit extensaque manu arripuit*

cereum de manu cuiusdam Christiani aufugere tentans. Qui illico arreptus a daemonio turpiter nimium vexari coepit. Quem prosequens Christianus cereum abstulit. Ille vero tortus acerrime protinus inter Saracenorum manus expiravit . . . . Statim vero ut assolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quae septem ibidem pendere cernuntur, cursim eructando ceteras inflammavit. Quam etiam cum suo oleo praefatus Episcopus emens auri libra a Iordane, qui tunc praeerat Patriarcha, secum detulit; atque in sede propria reponens plurima infirmis contulit beneficia.

Quamvis vero idem Martenius indicaverit tantum alium testem, Anonymum scilicet historiae belli sacri Auctorem a Mabillonio Tomo I. Mus. Ital. editum, nos integram eius narrationem etiam damus. Postquam Anonymus narrasset Soldani Babylonii in urbem Sanctam profectionem secum adducentis Episcopos aliquot ex Francis captivos, inter quos praesertim mirae sanctitatis Eremitam Guilielmum nomine, qui iussus antea testimonium Evangelio dare, montem fecerat in altum tolli et ad designatum locum transferri hoc deinde addit = *Cum ergo sollemnitatis paschalis dies appropinquasset, rex praedictos captivos advocans ait illis: non possum credere, quod sabbato vigiliarum Paschae ignis ille, ut fertur, apud sepulchrum dominicum per semetipsum in lampadibus accendatur. Ad haec Guilielmus eremita, socii eius, aliique Christiani indigenae verum esse illud firmiter asseverabant. At rex: si verum est, inquit, quod dicitis, volo ut rei ipsius probatione me astante atque cernente verum esse monstretur: ita tamen ut lampades a meipso praeparatae ignem illum recipiant, sin autem, a me numquam alio modo verum esse credetur. Cumque Guilielmus, ac socii ceterique fideles rem ipsam per virtutem Christi se penitus opere probaturos pollicerentur, Rex appropinquante die Paschae lychinos tenues de ferri acie fabricatos, quae ipse ante se aptari oleoque repleri fecerat, mitti iussit. Ceterum Christiani cognoscentes quod lychinos ferreos in lampadibus rex poni iusserit in infidelitatem quandam modice demerguntur.*

At Guilielmus eremita vir fide plenus Deoque devotus intuens eos in fide paullum haesitare, in ipsius firmitate illorum animam verbis exhortatoriis consolidavit. Cumque omnes plus solito Dominum precarentur, ut solitus ignis in lampadibus praeparatis ad gloriam nominis sui accenderetur, repente hora nona coelitus ignis adveniens per omnes lampades in lychniis ferreis accensus est, atque ita in eis clarissime ardere coepit, ac si papyri depilati fuissent. Tanto itaque miraculo et Rex ingenti stupore, atque admiratione excipitur et omnis plebs Christiana, ut vidit, dedit laudem Deo.

Guibertus quoque S. Mariae Novigenti in Gallia Abbas Historiae Hierosolymitanae lib. VII haec tradidit, quae nos a Papebrochio exscribimus = *Ignis qui venit in Ierusalem in Sabbato Paschae extinxit et post paululum miserante domino veniens iterum laetificavit christianos quos extinctione tristaverat.* Tum et iterum addidit = *Ignis qui venit in Sabbato sancto, non venit usque in eo ipso Paschae, et tunc tribus vicibus venit.* Legitur etiam et apud ipsum Papebrochium particula Historiae Praelatorum Monasterii de Fontanis anno *MCC* scriptae a Peregrino Abbate, quae Tomo X Spicilegii Dacheriani inserta fuit, et quam etiam indicavit Martenius. Narratur in ea, Wilielmum qui Hierosolymorum postea Patriarcha fuit, petiisse veniam a *Domino Gaufrido et a Turonensi* Archiepiscopo eundi Hierosolymam, ut exsecutus est. Tum subiungitur = *Quando venit ergo sacri celebratio Sabbati Paschae, accessit cum ceteris fidelibus, ad sepulchrum domini volens interesse consueto miraculo, quo datus ignis divinitus illa die praesentes solebat omni anno recreare et cunctis videntibus, qui aderant, et prae gaudio mirantibus, cereus eius divina virtute ardens et lucens apparuit* (1).

(a) Quot, ad excludendam piae fraudis suspicionem ex his, quae relata sunt, argumenta! Quandoque expectatus ignis non venit, quandoque non expectatus venit; quandoque extinctus, mox iterum accensus. En cereus in manu ipsa Guilielmi ultro accensus. Vide etiam §. sequentem.

In Chronico quoque Malleacensi a Martenio indicato, et Papebrochio haec brevis legitur adnotatio = *Anno MCXX In Ierusalem venit ignis sicut in Pascha in die assumptionis beatae mariae.*

Ut vero cetera omittamus a Clarissimo Martenio indicata, haud possumus sermonem Urbani II in Concilio Claromontano, in quo haec leguntur, silentio praeterire = *Et tamen in illo loco (non ignare loquor) requievit Deus: ibi pro nobis mortuus est: ibi sepultus est. Neque equidem ibi Deus hoc annuatim praetermittit facere miraculum, cum in diebus passionis suae extinctis omnibus, et in sepulcro, et in Ecclesia circumcirca luminibus iubare divino lampades extinctae reaccenduntur.*

Ne vero in longum haec nostra abeant scripta, iuvabit hic addere quae multa apud doctissimum Cangium leguntur Voce = *Ignis sacer Hierosolymitanus* = » Quo scilicet olim quotannis Hierosolymis, Sabbato » sancto, lampades supra Dominicum Sepulcrum appensae sub horam ve» spertinam divinitus accendebantur. Miraculum, etsi frustra ab aliquot he» terodoxis controversum, fulciunt scriptores (atque in iis αυτοπται non» nulli) scilicet Auctor Gest. Franc. expugn. Hieros. pag. 581 et seqq. » Anonymus de Locis Hierosol. num. 1, Bernardus Monachus in Itiner. » T. S. cap. 10, Leo Ostiensis lib. 3, cap. 30, Glaber Rodulphus lib. 4, » cap. 6, Chronicon Monasterii de Fontanis cap. 4, Willelm. Malbes» burg. lib. 4 Hist. Angl. pag. 140, 147, Hugo Flaviniacensis pag. 178, » Albericus in Chron. Mss. an. 970, et Chronicon Andrense pag. 465, in » quo *sacer ignis* nuncupatur, quo lampades accenduntur. In kalendario » Maronitarum apud Allatium in Symmictis pag. 301: *Sabbat. ignis ie» iunii*, Sabbatum sanctum, quo ignis vel splendor divinus apparere » solebat supra sepulcrum Domini in templo Hierosolymitano, interpre» tatur Gabriel Sionita. Sed et scribit Willielmus Dugdalus in Anti» quitat. Warwicensis Provinciae, in Ecclesia Warwicensi inter reliquias » olim asservatum *Oleum* in quo venit ignis in vigilia Paschae de coe» lo. Adde alia suggerentes, Leonem Allatium lib. I de opinationibus » Graecorum num. 30, Richardum de Insula S. Irenes pag. 157, Chri-

» stophorum Angelum de hodierno Graecorum statu cap. 42. = Huc
» usque doctissimus Cangius.

Nunc vero ad ea descendendum, quae de sacro hoc igne duo insignia Galliarum Ornamenta scriptis mandarunt suis; eruditissimus scilicet, et quem honoris caussa nominamus, Abrincensis Episcopus Daniel Huetius, et doctissimus simul et de re Christiana, et Litteraria optime meritus *Guenaeus*. Et hic quidem in Dissertatione de Iudaea, et Hierusalem Regno, postquam Bernardi Monachi testimonia, et Uldarici Aurelianensis Episcopi, quae nos paullo ante recitavimus, ipse quoque in medium protulisset, haec deinceps subiungit e Gallico Latine reddita. = *Quidquid de huiusmodi Phoenomeno* (coelestis scilicet ignis) *sit*, *quod non aliter accipiendum est*, *quam ut pia astutia*. Sane vir doctissimus cum contra impudentissimum hominem, cuius nobis nefas dicere vel nomen, Religionem SS. defendere suscepisset, noluit cavillationibus inimicorum hominum locum dare, et illis usus est verbis *quidquid sit*, quae illi affinia sunt verbo, quod scholasticis in disputationibus usurpari solet, *transeat*. Neque enim Hierosolymitani miraculi Religio SS. indiget ut sancta, divina, et vera probetur. Quod si non in transitu, sed fixo pede, rem totam examinasset, alia omnia profecto scripsisset. Quamvis enim ultro fateamur prodigium pluribus abhinc saeculis cessasse, pertinacis certe arrogantisque animi esset, quod olim factum fuerit, pernegare et stupidae credulitatis insignes tam multos viros accusare, tum et Patriarchas Graecos simul et Latinos, et Clerum Hierosolymitanum universum, ut fraudis participes traducere.

Nunc ea, quae Ill.mus Abrincensis Episcopus de sacro hoc igne scripserit, adferamus. Locus est Quaest. Alnet. Lib. II num. XXII = In sanctum Chri-
» sti Domini sepulcrum Sabbathi Sancti die sub noctem coelo delabi i-
» gnem sanctum, Graecis, Armenis, Syris, Coptis, aliisque schismati-
» cis persuasissimum est. Nec ea hodie vel heri nata est opinio. Pro-
» ditum extat in gestis Francorum, Balduino Hierosolymis regnante, ma-

» gnum timorem ac dolorem Christianis incessisse ob tardum nimis i-
» gnis sacri adventum. Meminerunt eiusdem prodigii Perdiccas Ephe-
» sius, Ancyranus alter, et Wilbrandus Oldenburgicus ab Allatio editi.
» Verum quod *olim* Dei donum fuit, nunc techna est vafrorum homi-
» num ignem furtim in fomite capientium, ne ipsis quidem infician-
» tibus. = Non tam brevibus verbis de sacro igne agens sapientissimus Antistes se expediisset, si quae nostra hac aetate plurima vulgata sunt monumenta, ipse vidisset. Non schismaticis tantum, et iis quos recenset, sed et Catholicis pene omnibus, neque de plebe, sed et Episcopis et Proceribus, et pietate et doctrina insignibus viris persuasum illud prodigium fuit, quin et ipsi Pontifici maximo Urbano II in Claromontano Concilio; ut supra retulimus. Nec duo vel tres scriptores tantum huius rei meminerunt, sed quamplurimi, et digni, quibus omnino credatur. Omnis certe historia rueret, si falsum dicatur, quod tot testibus firmatur, qui propriis etiam oculis a se visum narrarunt, maxime quod quandoque diligentiores adhibitae fuerint cautiones ad fraudem fraudisque suspicionem removendam. Optime vero doctissimus Episcopus *olim* prodigium a Deo factum fassus est, ut nos vel libenter pluribus abhinc saeculis illud cessasse fatemur. Non vero Dei voluntas ita adstricta est, nec esse potest, ut quod aliquoties ei placuit extra ordinem, semper facere ipse debeat; nec ex eo quod hodie Deo haud placet, argui poterit numquam placitum. Severior vero illa est censura, qua ut *vafri* homines *technas* facere traducantur, qui haud *diffitentur se excusso igne e lapide et in fomite recepto* lampades accendere, ut doctissimus Episcopus ipse observat. Haec autem omnia salva, quam profitemur, erga doctissimos viros reverentia, scripta existimet Lector.

DE AUCTORE HISTORIÆ BELLI SACRI

A CLARISSIMO MABILLONIO EDITÆ

DISQUISITIO.

Doctissimus Mabillonius, cum *Historiam belli sacri* e Bibliotheca Casinensi ederet, in *Admonitione* ei praefixa Scriptorem Anonymum Historiae illius suspicatus est *Francum aut Normannum* fuisse; quin et potius *Francum*. Qua vero modestia Vir Eruditissimus erat, hoc addidit: *Penes alios esto hac de re iudicium.* Non ergo temeritatis nota nobis inurenda, si potius Scriptorem illum non omnino *Francum*, sed *Appulum* (Apuliae nomine late sumto), seu Appula, seu Normannica stirpe ortum, certe in aliqua ex Apuliae civitatibus *Boamundi* ditioni subiectis, degentem existimemus. Non istud, nostrum erga Virum Praeclarissimum obsequium ullo modo minuere censendum.

Et primum quidem, quae Mabillonius in medium protulit, non satis evincunt Historiae Scriptorem Francum fuisse, immo potius Appulum arguunt. Passim siquidem non Galli tantum, sed et Appuli nostri quoque *Montaneam* dicunt, et *Diabolicam Montaneam*, ad quam scilicet utpote praeruptam difficilis est ascensus; ut et voces etiam *minutas gentes* pro infimae plebis hominibus Appuli usurpant. Nec illud ad Cl. Viri suspicionem confirmandam facit, quod Anonymus in obsidione et Expugnatione Antiochiae sub *Stephano Comite Carnotensi* militaverit. Istud plane verum est, cum ipse Anonymus scripserit de Stephano, *qui erat caput nostrum*, *quem omnes maiores elegerant*, *ut esset eorum ductor*; notum aliunde est, non ita adscriptos uni Duci esse milites, ut non sub alterius ad tempus saltem venire possint imperio. In omnibus quidem magni momenti expeditionibus, et ad ardua quaeque, militum fortiorum, quacumque ex natione sint, delectus fieri solet, iis-

que praeficitur Dux, qui e re opportunior sit. Hoc quoque advertit Mabillonius ipse, qui sic adnotavit = *Et erant apud Antiochiam sub Stephano non tantum Franci, sed etiam populi aliarum nationum.* Ceterum Anonymus noster *imprudentem et abominabilem hominem fuisse* tradidit Stephanum. Ipse quoque Cl. Mabillonius ingenue fassus est Historiae scriptorem non bene erga Francos affectum, cum hic dixerit = *Francigenae erant tumidi superbia.* Haeccine vero Francus homo scripsisset? Nihil ergo est, ex quo Francum esse illum censeamus. Contra vero plura sunt quae suadere videntur, Appulum et ex Apuliae civitate aliqua Boamundi imperio subiecta fuisse.

Et ut ab hoc incipiamus, illud nostrae favere videtur sententiae, ac veluti praeiudicio confirmare, quod *Mss.* Codex in Bibliotheca Casinensi inventus fuerit, ipso fatente Mabillonio. Quis enim facile credat Franci hominis Historiam ex insignibus, amplissimisque Galliarum Tabulariis penitus exsulasse, et in Casinensi Monasterio latitasse? Sane non in militari procinctu huiusmodi contexta historia, sed potius tamen, quamvis e commentariis in oriente scriptis, cum domum rediisset auctor, illam adornasse censendus est. Quo fato itaque factum, ut historia illa superatis Alpibus tum et Apenninis, Casinum denique venerit?

Francicas adhibuisse voces Scriptorem Cl. Mabillonius dixit, nobis contra Appula potius vocabula ille usurpasse videtur. Et ut aliqua gratia exempli afferamus: Num. *V* narrat Auctor in summa aquae penuria, *ad depellendam sitim milites misisse Zinziclas, et depressisse in os suum.* In Auctariis ad Cangium, hoc uno allato exemplo, *Zinziclae* esse dicuntur *spongiae*, sed certe ex errore. Nec enim fieri poterat, ut tantae invenirentur spongiae, quae militaribus pene immensis copiis sufficerent. Vox ista Appula est, et unice Appula, et qua parum inflexa et hodie Appuli utuntur. *Zenzole* e *Zinzole* vocant, quae latine *Scruta*, Italice *Stracci*, dicuntur. Inde Speluncae illi in Salentinis, de qua multa mirabilia paucis abhinc annis fuerunt scripta, nomen *Zinzanusa*, et *Zinzlanusa*, quam Italice diceres *La Cenciosa.* Et hodie quoque siti-

culosae Apuliae mulieres, et pueri, cum maxima aquae penuria laboratur, huiusmodi utuntur artificio, ut *scruta* funi, vel arundini alligata in cisternas fere siccas immittant ad residuam aquam ex iis hauriendam. Ipsa quoque vox *Piscina*, qua Anonymus utitur, ex Apulia repetenda videtur. *Piscinae* enim vocabulo passim Appuli utuntur ad significandas *Cisternas*. Sed de his satis, nam cetera adferre longum sane esset.

His etiam accedit quod Historiographus noster sibi maxime, quae ad Apuliam pertinent, nota fuisse ostendit, contra quod de aliis appareat Regionibus. Inde, quae loca Boamundi imperio in Apulia subessent, narrat, necnon et qui Apuliae Portus in Orientem ad traiiciendum oportuniores essent, ut puta Barii, Brundusii et Tarenti. Narrat etiam in Amalphis obsidione Boamundum, cum publicus expeditionis sacrae rumor, tum et Cruce signatorum ad eum clamor pervenit; unde et statim *iusserit pannum sericum pretiosissimum*, *quem apud se habebat*, *efferri*, *eumque incidi praeceperit*, *totumque statim in cruces expendi ..... deinde et in terram suam reversus*. An non exinde patebit Scriptorem nostrum, qui tam minimas Boamundi res sciret, in comitatu eius vel tunc fuisse? Fortasse etiam quis non sine ratione aliqua illud ex Belli Sacri Historia in medium afferet, quod Curbanam Curbanam ad suos scripsisse narrat Auctor n. LXVII = *Vobis namque iuro per Machomet et per omnia Deorum nomina*, *quoniam ante vestram non ero reversurus praesentiam*, *donec regalem Antiochiam*, *et omnem Syriam*, *sive Romaniam*, *atque Bulgariam*, *usque dum Apuliam acquisiero mea forti dextera*, *ad Deorum nostrorum honorem*, *et omnium Turcorum de nostro genere*. Non certe nisi ex Apulia homo has vesani Thrasonis minas contra Apuliam scripsisset. Sed fortasse penitius res investiganda.

Tres in partes divisum integrum Crucesignatorum exercitum scribit Auctor. Non sane ad primam ipsum pertinuisse dicendum, *Francorum* scilicet *partem quae*, *per Ungariam* Constantinopolim perrexit, *Gothifredo* eiusque Fratre *Balduino* et altero *Balduino de Monte*, *et aliis pluribus* Ducibus, *quos ignorare et quorum nomina dictare carere* fa-

tetur. Nec secundae se iunxisse Auctor dici poterit, quae *Comite S. AEgidii* duce per *Sclavoniam* iter arripuit; ut nec et tertiae, quae Ducibus *Roberto Comite Flandrensi, et Roberto Comite Normanno, et Ugone Magno, et aliis, qui e partibus Barii Tarenti et Brundusii* in Orientem vela dederunt, ut attente historiam ipsam legenti patebit. Restat ut sub signis Boamundi militasse, et in *eius pulcherrima militia*, ut ipse eam appellat, fuisse Auctor dicatur. Id quoque legenti num. *X*, et qui sequuntur luce clarius apparebit. Non vero Francos, aut aliorum nationum homines Boamundus collegisse existimandus est, ni forte unum aut alterum, sed suis e terris delectum habuisse. Hac vero de re adferre libet Antiqui Poetae Fulconis versus aliquos (apud Duchesnium Rer. Franc. To. 4):

Quaeque etiam gentes sparguntur in Appula rura,
Queis conferre manus visum est in praelia dura
Sub iugo Tancredi, et Boamundi corripuerunt,
Et contra fidei refugas patria arma tulerunt.

Ex civitatibus ergo maxime, quibus Boamundus et Tancredus dominabantur, milites undique confluxisse censendum merito erit.

Animadvertendum etiam et illud est, quam maxime perspectam Anonymo fuisse Boamundi, eiusque Patris, necnon et coniunctorum historiam, resque ab eo ante expeditionem sacram, tum et postea quoque notas fuisse. Eum Auctor in Galliam voti solvendi caussa proficiscentem narratione sequitur. Nec illud erit praetermittendum *Curbanae Curbanae tentorium e Boamundo Barium ad S. Nicolaum missum, ut laetaretur omnis Christiana plebs de triumpho, quem dedit populo suo dominus super paganorum gentes* = An Francus minimam hanc rem, et nullo modo ad Gallias pertinentem, in medium attulisset?

Accedit etiam et istud, numquam hac in historia Boamundi nomen sine adiuncto aliquo honoris titulo legi, ut ex. grat. *bellipotentis, sapientis, fortissimi* etc. quod de aliis Ducibus minime vel perraro facit. Immo persaepe illum *Dominum* appellat auctor, quod etiam vix aut ne vix

quidem de ceteris scribers facit, ita ut dubitari vix liceat Historiae huiusmodi scriptorem et Boamundo subditum, et ex aliqua Civitatum Boamundi imperio subiectarum fuisse. Quod si cui, quanta quanta est, Historiam legere attentius placeat, is profecto adverteret illam perpetuam esse Boamundi laudationem, et in id praecipue Auctorem intendisse, ut Boamundi fortitudinem bellicam, sapientiam, ceterasque virtutes praedicaret. Qui ceteri Duces, et Gothifredus ipse secundas habere partes videntur, primam vero, et maximam Boamundus, ita ut hic sacrae Iliadis Achilles sit. Inde factum ut Boamundi morte; eoque in Ecclesia S. Sabini Canusii in Apulia sepulto historia finiatur. Sed audiamus Scriptorem ipsum *num. CXL* haec scribentem = *Sed quia Boamundi acta, quae nunc usque gessit, recoluimus, debemus et ipsius finem qualiter habitus sit vel summatim reserare.* Ecquis non videt Historiam sacri belli scribendo auctorum res a Boamundo gestas, *eiusque acta* suscepisse narranda? Verum haec sufficiant quae doctorum hominum iudicio vel ultro subiicimus.

FRAGMENTUM LEGENDARII

ANTE ANNOS SEXCENTOS SCRIPTI

PRÆMONITUM.

Codex, cuius fragmentum edimus, Sanctorum acta in Ecclesia, sive etiam in Ecclesiastico Cursu legenda, et quae vulgo *Legendae* dicebantur, continebat, eaque ab Adventu in Adventum digesta, ut videtur. Integra primum legitur S. Marcelli Papae *Passio*, pars ea, ut videtur, Actorum ipsius S. Marcelli, necnon et Ss. Sisinnii, Largi, et Smaragdi, quae a Bollandianis integra recitantur. Emendatior Bollandiana, nostra videtur, *Passio*. Hinc ex illa variantes ad imam subiicimus paginam, quo, re cognita, plenius Lectores iudicare valeant.

Passionis deinde subiungimus initium S. Blasii Episcopi, et Martyris, eo magis quod unum et idem pene sit, ac illud quod Clariss. *Dominicus Georgius in Adonis Martyrologium* ad diem XV kal. Martii in Codice Canonicorum Foroiuliensium in finibus Venetorum se legisse testatur.

Denique ex eodem Codicis fragmento partem damus Actorum, sive *Legendae* Christi gloriosi Confessoris S. Sabini Canusini Episcopi. Quae vero in nostro leguntur, quamvis in rerum enarratione conformia pene sint cum iis, quae S. Gregorius Magnus Lib. 3. Dialog. Cap. 5. scripsit, et iis etiam quae apud Anonymum Canusinum leguntur, in aliquibus tamen difformes deteguntur. Acta eiusdem Sancti integra ab antedicto Canusino Anonymo scripta legere pronum erit apud Bollandianos ad diem *IX* Feb. necnon et apud Illustriss. *Angelum Andream Tortorà* in *Relatione Ecclesiae Canusinae*. Romae *MDCCXLVIII*. Huiusmet Sancti officium, et missam propriam inferius dabimus.

Passio S. Marcelli Pontif.

Tempore quo maximianus augustus rediit (1) de partibus africae ad urbem romam volens placere diocletiano augusto (2). in nomine eius thermas a solo edificare (3) precepit.,. Cepit itaque (4) invidia christianorum omnes milites romanos ad afflictionem laboris compellere. et per varia loca alios ad lapides alios ad harenam fodiendam damnavit.,. In ipso tempore erat vir christianus nomine trason (5). vir potens et facultatibus locuples, et vita fidelis.,. Hic cum vidisset affligi christianos (6) faticatione et labore cepit de sua facultate sanctis martyribus alimonii (7) victum ministrare per viros christianissimos (8) sisinnium, cyriacum, smaragdum et largum.

Hoc audiens beatus marcellus urbis rome (9) episcopus gaudio repletus est (10) de elemosina quam trason sanctis ministrabat.,. Et rogans venire ad se sanctos viros (11) et servos domini nostri iesu christi sisinnium cyriacum smaragdum et largum inquisivit ab eis ((12) a

(1) rediens
(2) ut
(3) edificaret *et deest* precepit
(4) in invidiam
(5) Thrason
(6) ad fatigationem
(7) alimonium et
(8) Christianos
(9) *deest* Romae.
(10) *additur* magno
(11) *additur* Christianos
(12) *uncis inclusa desunt*

quo sanctis martyribus victualia ministrabantur). et notum fecerunt sancto marcello episcopo (1) quod trason sanctis dei victualia ministraret (2) tunc gaudio repletus ducens consilium consecravit sisinnium et cyriacum diacones (3) ecclesie romane .,. Factum est autem ut una nocte dum deferrent humeris suis victum quem trason ministrabat tenti (4) sunt a militibus paganis. et ducti sunt ad tribunum expurium suscipiens eos tribunus tetrusit in custodia (5) publica.,. Post diem vero tertium nuntiavit hoc maximiano augusto .,. Hoc cum audisset maximianus iussit ut custodia (6) ipsi foderent harenam et humeris suis portarent usque ad locum ubi therme edificabantur .,.

Eodem tempore beata lucina fecit donationem de facultate sua (7) omnibus ecclesie christi.,. Hoc audiens maximianus augustus indignatus (8) proscriptione eam damnavit.,. Beata autem lucina rogavit sanctum marcellum ut domum eius ecclesiam consecraret (9) et cum omni devotione fecit beatus marcellus episcopus .,. At cum (10) frequenter in eadem domo missas celebraret. (11) in media civitate via latina (12) audiens hoc maximianus augustus iratus misit in eandem ecclesiam. et fecit preceptio-

(1) quomodo
(2) ministrabat
(3) Diaconos
(4) sicut
(5) custodiam publicam
(6) et
(7) *additur* de
(8) Catholicos
(9) quod
(10) ubi
(11) celebrasset
(12) lata

ne sua ut in eadem ecclesia plance sternerentur ad animalia (1) stabuli puplici. et eundem marcellum episcopum ad servitium animalium deputavit cum custodia puplica ubi etiam post multos annos serviendo (2) emisit spiritum sub die septimo decimo Kalendas Februarii.,. Cuius corpus rapuit iohannes presbiter noctu cum beata lucina et condidit (3) in cymiterio priscille via salaria (4) non longe ab urbe roma milliario quarto (5) et (6) requievit (7) in pace.

Passio S. Blussii Episcopi et martyris XXXI.

Etenim in sebastia cappadocie tradidit ad correptionem eos. qui secundum gratiam eius filii heredes existebant.,. Sebastia quidem martyres sibi elegit. propter sanguinis sui effusionem qui pro iis effusus est.,. Hoc est caritatem fidem atque confessionem protinus ostensuri.,. Et quod melius est quia non solum viros sed et mulieres ostensuras agonem certaminis. et usque in finem in christo per crucis exemplum coronas adepturi.,. Sed unus horum extitit noster coronatus et victor blassius.,.

Hic enim sanctus totum tempus vite sue mitis existebat et simplex. sicut de iob legitur purus. innocens. dominum colens. verax. mansuetus. ab omni opere pravo se abstinens.,. Videntes autem inreprehensibilem eius vitam hii qui in sebastia civitate cappadocie fideles existebant. etc.

Pars Legendae S. Sabini Episcopi Canusini.

Memininus gothorum rex. in his den partibus moraretur. donum

---

(1) catabuli

(2) *additur* indutus amictu cilicino

(3) *additur* condivit cum aromatibus et sepelivit

(4) *additur* veteri

(5) tertio

(6) ubi

(7) requiescit

sancti spiritus quod vir dei acceperat audivit. quod minime credidit. Sed sicut erat durissime et perfide mentis vir eum explorare conatus est... Nam cum ab eodem venerabili viro ad prandium fuisset invitatus. rex ad dexteram illius sedit. puerique eius de manu hora bibendi poculum abstulit. idque loco pueri episcopo prebuit. quod virum dei minime latuit.,. Nam cum summa velocitate poculo accepto regi ait. vivat ipsa manus.,. Ille quidem perfide quamvis esset mentis. ad veritatem ductus letitia sublimatus. verecundia faciem tenuit. letus quia quod de viro sancto audierat invenit. verecundus. quum tanto viro illudere presumpsisset.,. Nec in illius corde scrupulum dubitationis remanserat. quoniam qui per lumen oculorum decernere non poterat. tanta celeritate quod ei illudenti arte fuerat factum invenisset.,. Unde et rex et qui cum ipso aderant. ceperunt tantum episcopum ac prophetam summa veneratione habere .,. In tantum, ut qui totam apuliam et calabriam iam direptionibus divastarat. a sancti dei famuli diocesi cunctos suos compesceret ita. ut nullus minima illius et abiecta. contingere auderet .,.

Igitur ut clarius ostendam, eum habuisse spiritum prophetie. vel quante fuisset virtutis ad eius dem archidiaconi vindemii nomine manifestandam perniciem narrandi gratia articulos vertamus.,. Itaque cum idem venerabilis provecte esset etatis. maligno hi dem prephatus instigatus superbie archidiaconus. totum se contra episcopum ad adipiscendum episcopatum dedit. puerum quoque qui refectionis tempore. episcopo poculum tradere solitus erat. arcessivit. eumque his verbis diaboli ore allocutus est dicens. miror quomodo equo animo diuturne fers onera senis. si vita discessisset protinus honoratior habereris .,. O si talem habuisses episcopum qui episcopatus sui terminos celeri corpore oportuno tempore visitare potuisset.,. Ad hec verba puerilia corda ceperant mollescere, et archidiaconi maligno consilio obedire intantum ut venenum a vindemio sibi traditum vino miscere et ad bibendum episcopo prebere .,. Nam cum reficiendi hora perventa fuisset. puer de more poculum veneno maculatum episcopo nisus est tradere .,. Cui episcopus. bibe iu-

quit quod mihi porrigis. scio quid in illo latitat.,. Puer mox quod fecerat in lucem cognoscens deductum. pertimuit. et sancti viri vultum ferre non poterat. citius se necare quesivit manum ad os bibendi venenum iniciens .,. Ad hec episcopus mihi ait prebe fidelissime puer. absit absit: ut in conspectu licet indigni pontificis. veneno quis extrema finiat vite.,. Ego bibam. sed ille qui hoc flagitium perpetrare voluit. episcopus non erit .,. Sed mirum et stupendum miraculum contigit. nam cum idem biberet venenum miser vindemius qui in tertio vico tribus miliaribus a sancti dei distante erat habitaculo defunctus est .,. Et qui eius viri necem cupiebat. ipse malitia sua peremptus est.,. Dum vellet necare veneno. nequitie sue veneno necatus est. propinare voluit et propinatus est .,. O infelix et omnibus deterior vindemi tibi scilicet credita sunt domini precepta tibi evangelium traditum est. ut omnibus evangelizares. numquid non publica voce canere solebas. qui parat proximo suo foveam incidit in eam. hoc tibi evenit infelix. quod aliis cavere predicabas.

ORDO PONDERANDI

MASCULUM VEL FEMINAM (*)

Ex Mss. Missali Manuali Ecclesiae Rubastinae.

In primis: ℣. = Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuvandum me etc. ℣. = Gloria Patri etc. = ℟. sicut erat = *Psal.* = Credidi propter etc. = *Psal.* Notus in Iudea = Gloria patri etc. = ℣. = Vovete et reddite domino deo vestro omnes qui in circuitu vestro affertis munera = kir. = Xpl. kir. = pater noster = ℣. = et ne nos = ℟. et libera nos. = ℣. = salvum fac famulum tuum = ℟. Deus meus sperantem in te = ℣. = Esto nobis domine turris fortitudinis = ℟. a facie inimici = ℣. = Nihil proficiat inimicus in eo = ℟. = et filius iniquitatis non nocebit ei = ℣. = Domine exaudi orat. = ℟. et clamor meus = ℣. = Dominus vobiscum = ℟. et cum spiritu.

(*) » In more olim fuit, ut aegros pueros ad Sanctorum feretra vel sepulcra » appenderent, et pondus tritico, panibus, aliave re, quam offerre Deo et Sanctis » volebant, exaequarent, addita summa aliqua auri vel argenti. » Ita *Macrius* in Hierolexico Ver. *Ponderare*, et ex eo *Cangius*, qui et versus aliquos Metelli affert:

Iura tamen tenet haec specialia.
Quod puerilia corpora morbida
Si fuerint ibi cum prece sedula
Pensa solo, sequitur reparatio.

Recitatur etiam aliud miraculum de quodam, qui *panibus*, *et caseolis* ibi se *pensans*, hos postea distribuebat egenis.

Oremus.

Omnipotens sempiterne deus creator et dispensator universitatis qui per coeternum tuum filium omnia in mensura et numero et pondere fecisti adesto propitius humilibus precibus nostris et famulum tuum qui ad Ecclesiam hanc se ponderandi caussa advenit celesti benedictione benedicas auxilio tuo muniatur ab omni incomeditate (sic) (*a*) defendat quatenus intercedente beato *N.* salvus atque incolumis mereatur remeare. Per Xptum.

Alia Orat. Oremus.

Deus cui accepta sunt omnia vota et munera supplices exoramus ut famuli tui vota dignanter accipias tribue ei divicias gratie tue et ab omnibus periculis . . . . . . iubeas tuearis atque defendas et firmas cunctis diebus ac noctibus horis et momentis da ei auxilium atque presidium tue pietatis ut iuxta evangelicam vocem quod petit obtineat atque impetrata agnoscat per Xp.tum Dominum nostrum = ℟. = Amen = Deinde ponderat se tribus vicibus in statera dicendo = In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti = ℟. = Amen (*).

(a) Lege = Incommoditate, scilicet aegritudine. In auctariis Cangii legitur *incommodus* non vero *incommoditas*.

(*) *In libro Sacerdotali* anno *MDLXI*, testante Claris. Catalano, edito, quem in nostris pluteis habemus, legitur etiam *Ordo ad ponderandum* etc. sed longe diversus, in eiusque rubrica haec est admonitio = *Ordo ad ponderandam personam super lancem vel tabulam more solito et dicat Antiphonam* = Benedicimus Deum caeli, et coram omnibus viventibus ei : quia fecit nobiscum misericordiam suam = *Et intonet* Te Deum etc. inde post aliquos versus sequitur *Psal.* = Laudate pueri

IN SEQUENTES ORDINES

ADMONITIO.

Cum Clariss. Martenius non operam chartamque perdere quamplurimos Antiquos Sacramentorum Ordines edendo existimaverit, cumque inde magnam a doctis piisque viris rerumque Ecclesiasticarum amatoribus laudem consecutus fuerit; an nos Sacramentorum *Ordines* sacrosque ritus antiquitus in Apuliae, et Iapygiae regionibus usitatos edere pigebit? Quod igitur pro Galliarum Ecclesiis maxime ille fecit, nobis quoque pro nostris Ecclesiis facere licebit. Quamvis enim hae nostrae Romanae Ecclesiae penitus essent addictae, eiusque ritus sequerentur, non ita tamen se adstrictas putabant, ut aliquos singulares ritus a maiorum traditione acceptos omnino excluderent.

Hinc primum edimus *Ordinem ad Cathecumenum faciendum* (1),

Quo ex Psalmo coniici poterit initio saeculi XVI ad solos pueros, sive puellas restrictam hanc consuetudinem fuisse. Ex hoc etiam cum superiori Ordine camparato illud etiam intelligimus, quandoque ponderationem factam suscepto voto pro infirmo puero, vel puella ad impetrandam scilicet sanitatem, quandoque ad votum pro salute iam adepta solvendum.

(1) Cur *ad Cathecumenum faciendum* ut et in quamplurimis aliis antiquis Ritualibus reperitur, et non potius *Ordo Baptismi*, ut vere est? Antiquissimis certe temporibus alii proprii erant ritus, quibus Cathecumeni recipiebantur, et ad Baptismum instructionibus, exorcismis, exsufflationibus, unctionibus, precibus aliisque huiuscemodi praeparabantur, alii vero, qui proxime ad Baptismum, et ad baptismum ipsum pertinebant. Cum vero procedente tempore adultorum baptismus vix aut ne vix usitatus esset, sancta invecta consuetudine, ut omnes infantili in aetate baptizarentur, hi duo satis antea distincti Ordines velut in unum conflati sunt, priori titulo *ad*

qui in Canusino Mss. *Missali Manuali secundum consuetudinem Ecclesiae Romanae* ante annos 500 scripto prostat. Quamvis vero Romanus dicendus foret hic Ordo, quippe in quo omnes pene romani ritus leguntur, ita ut conformis pene sit iis, quos ex tribus Mss. Pontificalibus Constantinopolitano scilicet an. 500 (nunc 700), Aquensi an. 400 (nunc 600) et Romano an. 300 (nunc 500) claris. Martenius vulgavit, in aliquibus tamen ritibus aliquantulum dissidet. Et primo ritus est in nostro quo infans intrans Ecclesiam humi deponitur, cum recitantur *Pater noster* et *Credo*. Haud tamen diffitebimur hunc eumdem ritum *in Libro Sacerdotali Romano* legi, ut etiam in Rituali Ambrosiano iussu Eminentissimi Cardinalis Montii Edito, in quo non tantum deponi in pavimento infantem praecipitur, sed etiam ita deponi, ut pedes versus baptismalem fontem habeat. Huius etiam ritus S. Carolus Borromaeus in suis de Baptismo Instructionibus meminit, quin et eiusdem rationem significationemque his expressit verbis: » Infans in Ecclesiam introducitur, ubi primum apud sacrum Fontem humi collocatur. Qui ritus » cum supplicem eius petitionem, qui se baptizari postulat, ostendit, cum » prostrati hunc olim baptismum peterent, tum significatio est sanctae » humilitatis, quam Christianus profiteri debet ». Quod si ad SS. Pontificis mentem addere liceat, fortasse diceremus infantem quasi proiectum et expositum e terra a Matre Ecclesia elevari, ab eaque veluti adoptari. Dixit namque Regius Psaltes = *In te proiectus sum ex utero*, vel ut aliter legitur = *veluti expostitius fui tibi.* Id quoque ex eo confir-

---

Cathecumenum faciendum remanente; non ita tamen ut eorum diversitas omnino obliteraretur. In quibusdam enim sequioris aevi Mss. ritus proprie ad Cathecumenum faciendum pertinentes, in vigiliis Paschae et Pentecostes media Fontis benedictione a ritibus Baptismi separantur. = Si quis nondum Cathecumenus (ita in Pontificali Pictaviensi annorum mille) ad baptizandum venerit Sabbato Sancto dicit Sacerdos super eum orationem ad Cathecumenum faciendum etc. =

mari poterit, quod non e Patrino tantum, et Matrina, sed a Sacerdote etiam; et ab omnibus adstantibus Ecclesiam Christi repraesentantibus symbolum et Oratio Dominica aliquibus in Mss., et maxime Lyciensi Ordine recitari praecipiatur.

Alter vero ritus nostrarum Ecclesiarum in Baptismi administratione peculiaris ille videtur (nec enim alibi legimus), qui in Canusino habetur, quo infanti humi posito, et praeposita ei Crucifixi D. N. imagine a Sacerdote dicatur ter *adora*, terque etiam ei respondeatur *adoro*. In Lyciensi vero Ordine dicitur = Deinde ponens puerum in pavimen- » to dicat *Dominum Deum tuum adorabis : et illi soli servies* = Simile quiddam Rituale Romanum hodiernum habet, et quod ad unum et alterum ritum de quibus supra referri poterit, cum de Adultorum Baptismo agens, hoc faciendum monet = Et ingressus (in Ecclesiam) » Electus procumbit seu prosternit se in pavimento et adorat =

Cumque ad Lyciensem Ordinem evaserimus, operae pretium erit addere, formulam Baptismi veluti ex abrupto incipere sic = Signo te signo Crucis † in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti = Tum denique cum proxime est baptismus ministrandus sequentia Rubricae nomine legun-tur = His peractis accedat Sacerdos ad Fontem Baptismalem, vel potius » secundum consuetudinem Civitais Lyciensis, praeparet sacramentum » miscens ampullam aquae baptismalis cum aqua calida in vasculo mun- » do ad hoc praeparato = Denique monetur = Sacerdos immergat, vel infundat eum, vel saltem caput eius in aqua ipsa baptismatis dicendo etc. = Id quod sane indicat initio saeculi XVI. non omnino praxim baptismi per immersionem abolitam. Videndus Doctis. Martenius de Antiq. Eccl. Rit. lib. I.

Sequitur Ordo Sacramenti Matrimonii, qui hunc habet praefixum titulum = *Benedictio Sponsi et Sponse* =, eumque etiam ex antea dicto Missali Canusino exscripsimus. Addimus etiam aliqua e *Missa ad sponsam benedicendam*, quae in Missali Manuali insignis Ecclesiae Rubastinae fere 600 an. legitur; tum et notulas aliquas subiicimus.

Tertius est *Ordo ponderandi masculum vel feminam* ex eodem Ecclesiae Rubastinae missali. Ea olim fuit, apud nostrates etiam, consuetudo, ut salvum a quacumque infirmitate puerum, vel puellam a Deo Sancti alicuius intercessione peterent hoc religionis caussa voto adiecto, ut ad pueri puellaeve pondus exactas aliquas res, utpote ceram, triticum, etc. Sancto illi offerrent. Nullibi Ordinem huiusmodi legere nobis datum, quamvis eruditis viris res ipsa satis cognita sit. Eum propterea edimus, et quaedam illi ima in pagina adiungimus ad illud aliquantulum illustrandum.

Denique ex Mss. Breviario Melphictensi = *Ordinem ad suscipiendam mulierem post partum* adiungimus, idque eo libentius facimus, quod ritus hic piissimus in desuetudinem pene apud nos abierit. Dolendum sane est impiorum hominum conspiratione factum, ut matrimonia aeque ac nativitates, hominum scilicet initia, quasi res omnino profanae essent, non vero sanctae, et precibus orationibusque sanctificandae. Omnia quaecumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum, ait Apostolus (Colos. III 17), qui eadem pene repetit ad Ephes. (cap. V 20); et observandum maxime est, loco utroque haec scripsisse videatur Apostolus quasi anteloquium ad viri, et mulieris mutua officia, quae deinde describit. Ceterum qui de hoc ritu plura scire cupiet, is consulat clar. Iosephum Catalanum Comment. in Rituale Rom.

ORDO

AD CATHECUMENUM FACIENDUM.

Stans in Ecclesiam (sic) limine Sacerdos cathetisando stans limine interrogat ita dicendo = Iohannes (*) quid petis ad Ecclesiam Dei = ℟. = Fidem = Interrogat = Fides quid tibi prestat = ℟. = Vitam eternam = Ait Sacerdos = Si vis habere vitam eternam serva mandata. Dilige deum tuum ex toto corde tuo , et ex tota mente tua , et proximum tuum sicut teipsum, in ipsis duobus mandatis tota lex pendet et prophete. Fides autem est ut unum dominum in trinitate, et unitatem venereris, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona patris, alia filii , alia spiritus sancti. Sed harum trium , una est et non nisi una divinitas. Exeat ergo de te spiritus malignus et ingrediatur spiritus bonus. Per eum qui venturus est iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem = Item dicit Sacerdos hic sufflet in facie pueri parato animo in modum crucis ita dicendo hic in modum = Exi ab eo immunde spiritus et da ei Spiritum Sanctum paraclitum per istam insufflationem et domini benedictionem = Pax tibi = ℟. = et cum = Deinde faciat crucem in fronte eiusdem = Iohannes signum salvatoris Domini nostri Ihu Xpi in fronte tua pono = Tunc faciat ✝ cum pollice in pectore eius dicendo = Iohannes signum crucis tam in fronte, quam in corde summa scilicet dei praeceptorum celestium. Talis esto moribus ut templum ✝ esse possis ingressusque Ecclesiam dei evasisse te laqueum mortis letus agnosce : horresce idola, respue simulacra , cole dominum patrem omnipotentem et Ihum Xptum filium eius unicum dominum nostrum. Qui venturus est iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem. amen. = Oremus = Preces nostras quesumus domine clementer exaudi et hunc electum tuum crucis dominicae, cuius impressione

(*) Nomen pro exemplo positum.

signamus virtute celesti custodi, ut magnitudinis glorie rudimenta servans, custodiam mandatorum tuorum ad regeneracionem (sic) gloriam pervenire mereatur. Per eumdem ≓ Oremus ≓ Deus qui humani generis ita es conditor ut sis etiam reformator propitiare populis adobtivis novo testamento sobole nove plebis ascribe ut filii promissionis quod non potuerunt assequi per naturam gaudeant se recepisse per gratiam. Per eumdem ≓ Tunc imponat manum super capud eius dicat hanc orationem ≓ Omnipotens sempiterne deus pater domini nostri Ihu Xpi respicere dignare super hunc famulum tuum quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es omnem cecitatem cordis ab eo expelle disrumpe omnes laqueos satane quibus fuerat obligatus. Aperi ei domine ianuam pietatis tue, ut sale sapientiae tue imbutus cubiditatum fetore careat, et ad suavem odorem preceptorum tuorum letus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem ut ydoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi. Per eundem.

Bene†dic omnipotens deus hanc creaturam salis bene†dictione celesti in nomine domini nostri Ihu Xpi et in virtute spiritus sancti ad fugandum inimicum, quem tu domine sanctificando sancti†fices et benedicendo benedicas fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum in nomine domini nostri Ihu Xpi qui venturus est ≓ . Aspergatur . . . . Accipiat de ipso sale et ponat in ore ≓ nominetur ≓ Iohannes accipe salem sapientie qui propiciatus tibi sit in vitam eternam. Amen ≓ Pax tibi ≓ ℟. et cum spiritu ≓ Oremus

Deus patrum nostrorum universe conditor veritatis te supplices exoramus ut hunc famulum tuum *N* respicere digneris et eum primum pabulum salis gustando non diutius esurire permittas quatenus cibo repleatur celesti, qualiter sit semper domine spiritus fervens spe gaudens tuo semper numini serviens perduc eum domine quesumus ad nove regenerationis lavacrum ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum eterna premia consequi mereatur. Qui venturus es iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem.

Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam et da honorem

deo vivo et vero et da honorem Y.^{hu} Xp.^{o} filio eius Spiritu Sancto ut exeas et decedas ab hoc famulo Dei quia eum ita sibi Deus et Dominus noster Y.^{hus} Xp.^{us} ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est et hoc signum sancte crucis quod in fronte eius pono tu maledicte diabole numquam audeas violare. Per eumdem Xp.^{um} qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

Super Feminam.

Deus celi, Deus terre Deus Angelorum Deus Prophetarum Deus Martyrum Deus omnium beneviventium Deus cui omnis lingua confitetur celestium terrestrium et infernorum te domine in famulam tuam perducere et custodire digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte diabole recognosce. ≓ *require retro* ≓

Super Masculum.

Audi maledicte Satanas adiuratus per nomen Dei et Domini cum tua victus invidia tremens gemensque discede nihil tibi sit commune cum servo dei iam celestia cogitanti renuntiaturo tibi et seculo tuo et beate immortalitatis victuro. Da igitur honorem spiritu sancto qui exsigua (*) celi arce descendens perturbatis fraudibus divino fonte purgatum pectora videlicet sanctificatà corda Deus templum et habitaculum perficiat et ab omnibus penitus noxiis preteritorum criminum liberatus dei servus gratias perhenni deo referat semper et benedicat nomen eius in secula seculorum per Xp.^{um} dominum nostrum: qui venturus est.

(*) Forte *ex summa*.

Super Femina.

Deus habraham deus ysaac deus iacob deus qui tribus israel monuisti, et susanna de falso crimine liberasti te supplex deprecor domine ut liberes hanc famulam tuam et perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte (1).

Super Masculum.

Exorcizo te immunde spiritus in nomine patris et filii, et spiritus sancti ut exeas et decedas ab hoc famulo dei. ipse enim tibi imperat maledicte dapnate, qui pedibus super mare ambulavit et petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte.

Super Femina.

Exorcizo te immunde spiritus per † patrem et Fili†um et spiritum † sanctum ut exeas et decedas ab hac famula dei. enim ipse tibi imperat maledicte dapnate qui ceco nato oculos aperuit et quatriduanum lazarum de monumento suscitavit. Ergo maledicte diabole.

His itaque peractis introdupta Sacerdos in Ecclesia = Ingredere in Sanctam Ecclesiam ut accipias benedictionem celestem a domino Y.lhu Xp.o = Sacerdos ter dicat ante crucifixum = Adora dominum deum

---

(1) Lacuna, quae certe hac in oratione est, sic e Codice Parthenonis B. M. Calensis in Dioecesi Parisiensi annorum 800 (nunc 1000) apud Martenium = Deus Habraham, Deus Ysaac Deus Iacob qui tribus Israel de Ægyptica servitute liberos per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti etc.

tuum, qui te creavit = ℟. = adoro = dictis tribus vicibus sacerdos dicat = et illi soli servies = ℟. = Amen = Tunc autem patrinus et patrina illius ponat eum super pavimentum et dicat super eum Sacerdos = *Pater noster* etc. *Credo in Deum* etc. (.in margine additur = *aspergatur*) = Quibus finitis elevat de terra , et Sacerdos cathizat eum faciens crucem in fronte eius cum pollice dicens = In nomine pa✝tris, et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti. Amen. = Postea posita manu super capud eius dicat hanc orationem, que sequitur immediate.

Non te lateat satanas imminere tibi penas imminere tibi tormenta imminere tibi iudicii sempiterni diem. qui venturus est velud clibanus ardens quo tibi et universis angelis tuis eternus veniat interitus. Proinde dapnate, atque dapnande, da honorem deo vivo et vero da honorem I.hu X.po filio eius et Spirit. San. in cuius nomine tibi impono quicumque es spiritus immundus ut exeas et decedas ab hoc famulo dei quem hodie dominus noster I.hus Xp.us ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis dono vocare dignatus est ut fiat eius templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum in nomine ipsius domini nostri Y.hu Xp.i qui venturus est (*) vivos et mortuos et seculum per ignem. Amen = Sic Sacerdos accipiat de sputo suo et ponat in auriculis et naribus infantis interrogato nomine et dicit = Effecta (sic) quod est aperire aures et nares in odorem suavitatis. tu autem effugare diabole appropinquabit enim regnum Dei = Tunc vocatum nomen dicit = Abrenuncias Satane = ℟. = Abrenuncio = Iterum = et omnibus operibus eius = ℟. = Abrenuncio = Iterum = et omnibus pompis eius = ℟. = Abrenuncio = Postea tangit (**) de oleo pectus eius, et scapulas cruce faciendo cum pollice dicat. = Ego te linio oleo salutis in Xp.o Y.hu domino nostro in vitam eternam = Amen = Tunc impona in manus sua super capud eius dicat et interrogat =

(*) Supple *iudicare.*
(**) Lege *ungit*

Credis in Deum patrem omnipotentem creatorem celi et terre = ℟. = Credo = Sacerdos dicit = Credis in Y.^{hum} Xp.^{um} filium eius unicum dominum nostrum natum et passum = ℟. Credo = Iterum dicit = Credis in spiritum sanctum sanctam Ecclesiam Catholicam sanctorum communionem, remissionem peccatorum carnis resurrectionem vitam eternam. Amen = ℟. = Credo = Sacerdos dicat = vis baptizari = et tribus vicibus = Volo = Sacerdos dicat = Iohan. ego te baptizo in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen = deinde faciat crucem cum chrismate in verticem infantis et dicat = Qui vocaris = ℟. N. = Sacerdos dicat oremus

Deus pater omnipotens pater Domini nostri Y.^{hu} Xp.^{i} qui te regeneravit ex aqua et spiritu sancto quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum ipse te † liniat chrismate salutis in Xp.^{o} Y.^{hu} domino nostro in vitam eternam = ℟. = Amen = Deinde induat eum veste chrismali (1) dicens = Accipe vestem candidam et immaculatam quam per-

---

(1) Quid hoc loco sit Chrismale docet Durandus, quod sit scilicet *vestis candida quae super caput baptizandi ponitur*; quippe olim, ut et hodie, baptizatorum statim atque Chrismate in fronte ungebantur, ne Chrisma deflueret, capita panno candido obvolvebantur, qui octava demum die ab iis auferebatur. Ceterum qui plura scire cupiet adeat maxime Cangium hac voce, necnon et doctissimum Martenium de Antiqu. Eccl. Rit. lib. I. Cap. I. Art. XV. num. VI.. Haud vero pedibus posse in sententiam ire Clar. Iosephi Catalani putamus, qui in Com. Rit. Rom. Cap. 2. de sacr. baptism. §. XXIII. num. IV. lapsum dixit Martenium cum Chrismale putavit a *Veste Candida* diversum. Neque enim quod certe capiti sacro Chrismate peruncto imponebatur vestis esse poterat. An fortasse *Corona* qua aliquibus in Ecclesiis olim baptizati caput ornabatur, procedente inde tempore in Chrismale mutata? Ipse quoque Catalanus eodem capite, et §. num. vero II. Gemmeticensem Codicem initio XI. saeculi exaratum adducit, in quo manifeste legitur = Vestitur vestibus » suis candidis, et mittitur Chrismale super caput eius = Rituale etiam Romanum quo hodie utimur, cum de Adultorum Baptismo agit, apertissime Chrismale a veste candida distinguit = Tunc bombacio vel re simili pollicem tergit et imponit » capiti Electi Chrismale seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam. =

feras ante tribunal domini nostri Y.hu Xp.i ut habeas vitam eternam et vivas in secula seculorum. Amen = Deinde ponat cereum accensum in dextra manu dicens = Quid vocaris = ℟. N. Sacerdos dicat = Accipe lampadem irreprehensibilem custodi baptismum tuum ut cum dominus venerit ad nuptias possis ei occurrere cum sanctis in aula celesti in vitam eternam = ℟. Pax tibi = ℟. = et cum spiritu tuo = Sacerdos dicit. = Vade in pace et dominus sit tecum.

BENEDICIONE (sic) SPONSI ET SPONSE.

In primis benedicit Sacerdos annulum ante portas Ecclesie.

Benedic domine annulum hunc quem nos in tuo nomine benedicimus, et qui eum portaverit in tua pace consistat et in tua voluntate permaneat et in amore tuo vivat et senescat et multiplicetur in longitudine dierum per Xp.um Oremus = Creator et consumator (1) humani generis dator gratie spiritualis largitor eterne salutis. Tu domine permicte spiritum sanctum tuum de celis super hunc annulum ut armis virtutis celestis defensus illi qui portaverit proficiat ad salutem. Per = Hic apprehenda virum ad mulierem in primis (2) dicat = in nomine Patris = in secundo digito = et Filii = in tertio = et Spiritus Sancti = in quarto = Amen = = Et dicit = cum eo annulo desponso et meum

---

(1) Lege : *Conservator* = ut in aliis Mss. Codicibus apud Martenium.

(2) Mendum hic est , et librarii oscitantia etiam lacuna , quae sic explenda = Apprehendat vir annulum et una cum Sacerdote in tribus digitis dextere manus sponse imponat ad primum dicat = Aliis in Ordinibus a Cl. Martenio editis in tertio digito , sive medio demum imponitur annulus , sine = Amen = sed melius fortasse noster in quarto demum digito quiescere praecipit annulum , addito = Amen = S. Isidorus equidem lib. II. de Offic. Eccles. cap. IX. quarto digito dicit inserendum annulum.

habere tibi dono et cum tota mente te diligo = Post haec dicit Sacerdos super ambos = Manda Deus virtutem tuam. confirma deus hoc quod operatus es in nobis. A templo tuo Ierusalem tibi offerent reges munera. Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum ut excludant eos qui probati sunt argento. Gloria Patri = ℣. Sicut erat = Kirieleison Xp.[e] eleison Kirieleison. = pater noster = ℣. Et ne nos inducas = ℟. = sed libera.

Inter hec intrent in Ecclesia si virgo est... (1). ... cum ante altare et prosternent se panno in terra et ponat Sacerdos super capita amborum sindone (2) munda et dicat super ambos hanc orationem:

Benedicat vos Pater et Filius et Spiritus Sanctus qui trinus est in numero et unus est in nomine.

Deus abraham deus Ysaac deus Iacob. Ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.

Deus abraham deus iacob deus ysaac benedic adolescentes istos. et semina semen vite eterne in membris eorum. ut quidquid pro utilitate sua . . . . (*) hoc facere capiant. per dominum nostrum Y.[hum] Xp.[um] recuperatorem hominum filium tuum unigenitum. qui tecum vivit dominatur et regnat. una cum spiritu sancto in secula seculorum.

---

(1) Quod punctis notatur Canusino in Codice non legitur. Facile tamen erit intelligere, ritum, qui sequitur, tantum, si sponsa saltem Virgo, idest non Vidua iterum nubens, esset, locum habuisse. In Ordine enim Rothomagensis Ecclesiae aperte monetur = Si non fuerint alias coniugati, seu alter eorum fuerit coniugatus, » quia eo casu non fieret = Fortasse Canusinus Ordo ex ritibus qui erant ante missam, et iis qui in Missa una simul sine distinctione conflatus fuit.

(2) Ex Mss. Pontificali Monasterii Lyrensis apud Martenium: =Post *Sanctus* prosternat se in orationem, extento pallio super eos, quod teneant quatuor homines ad quatuor cornua.

(*) *Supple didicerint.*

Amen = Psal. = Beati omnes qui timent dominum = cum = Gloria Patri = Kirie eleison Xpisteleison Kirie eleison Pat. nost. ℣. et ne nos inducas = ℟. sed libera nos. ℣. Salvum fac famulum tuum et famulam tuam = ℟. Deus meus sperantes in te = ℣. micte eis auxilium de sancto ℟. = et de Syon tuere eos = ℣. Domine exaudi orationem meam = ℣. = Et clamor meus ad te veniat = ℣. Dominus vobiscum = ℟. = Et cum spiritu tuo.

Oremus

Respice domine de celo super hanc coniuncionem ut per Angelum tuum raphaelem pacificum ut sint sani atque digni. et pacifici tua benedictione.

Oremus.

Respice de celo sancto tuo super hanc coniuncionem ut sicut misisti angelum sanctum tuum raphaelem tobie et sarre filie raguelis. ita digneris domine mictere benedictionem tuam super adolescentes istos ut in tua voluntate permaneant et in amore tuo vivant et senescant et multiplicentur in longitudinem dierum. Per.

Oremus.

Benedicat vos dominus. et custodiat ostendatque faciem suam = et det vobis pacem. Per.

Oremus.

Da qu. domine benedictionem tuam super hunc sponsum *N.* adolescentem et hanc sponsam *N.* ut tibi subditi fiant atque iugiter deserviant. Per

Postcom.

Quesumus omnipotens deus istituta providentie tue favore comitare. et quos legitima societate conectis longeva pace custodi (1).

(1) In *Missali Manuali* insignis Ecclesiae Rubastinae 500 annorum legitur *Missa ad sponsam benedicendam*, quae aliquibus tantum exceptis fere eadem est, ac quae hodie in Missali Romano habetur. Epistola vero ab illo Apostoli ad Corin. = *Nescitis quia corpora vestra* etc. sumta est, ut etiam in aliis antiquis Mss. apud Martenium legitur. Cum vero Missale Romanum hodiernum praecipiat post dictum *Pater noster* et antequam dicatur *Libera nos* recitari Benedictionis Orationem, in Rubastino contra haec legitur Rubrica = Antequam dicatur *Pax Domini* dicitur alte hec oratio = Similis etiam praescribitur ritus in missali Gelosiano, et aliis antiquissimis. Oratio ipsa eadem est ac quae recitatur hodie. Verum ea finita sequentia Rubastinum habet = Tunc Sacerdos per dexteram manum sponsam apprehendat et tradat eam sponso et dicat = In nomine patris et filii, et spiritus sancti. Amodo sit uxor tua ideo teneas eam sicut Christus dilexit Ecclesiam. Abstinete hodie et cras, et aliud cras = Postea revertitur ad altare et dicat = pax domini sit semper vobiscum = Deinde absque aliis orationibus in Rubastino adduntur *Communio* et *postcommunio*. Videndus Clar. Martenius *de Antiq. Eccl. rit.* lib. I. cap. IX. art. V.

ORDO

Ad suscipiendam mulierem post partum.

Deus in adiutorium meum intende = ℟. = Domino ad adiuvandum me festina = ℣. = Gloria patri = ℟. = sicut erat = *Presbyter tenens manum mulieris et tradens in Ecclesiam et dicat antiph.* = Exaudi nos domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos domine. = *Psal.* = Credidi propter = *Psal.* = Ad te levavi oculos meos = ℣. = Gloria = ℟ = sicut erat. Kirie eleis. Xpe eleis. Kyrie eleis. = Pater noster = ℣. = Et ne nos = ℟. sed libera = ℣. ℟. = Exaudi nos domine = ℣. = Ego dixi domine miserere mei. = ℟. = sana animam meam quia peccavi tibi = ℣. = salvam fac ancillam tuam = ℟. = Deus meus = ℣. micte eam domine auxilium de sancto = ℟. = Et de syon = ℣. = Domine exaudi orationem meam = ℟. = et clamor = Oremus = Absolve quesumus domine delicta famule tue et a peccatorum suorum nescibus (*sic pro nexibus*) que pro sua fragilitate contraxit tua benignitate liberetur. per Xp.^m.

Cum in Mss. insignis Canusinae Ecclesiae Breviario, et Missali *Visitationis B. V. Mariae* necnon et Officium et propriam S. Sabini celeberrimi eius Ecclesiae Episcopi missam legimus, continuo in mentem venit ea hic edere. Putavimus enim rem facturos non ingratam Ecclesiasticarum rerum infimi aevi amatoribus et comprovinciabus nostris fortasse gratissimam. Aliqua vero praemonere iuvabit.

Notum omnino est, Clar. Gavanto etiam teste, Visitationis Beatissimae Virginis festum vel saltem ab anno *MCCLXIII* ab universo Fratrum Minorum Ordine fuisse celebratum; non aeque vero, saltem nobis, notum est, an officium proprium de festivitate illa Minores habuerint. Festivitas vero illa ad universam extensam est Ecclesiam ab Urbane *VI* horrendi schismatis caussa, quo Christiana societas vexabatur. Non vero ea repetemus, quae hac de re in *Commentario praevio* adtulimus; tantummodo illud addere iuvabit, quod ad rem praesentem facit. *Scultingus* namque apud Martenium narrat Urbanum scilicet mandasse *Domino Adae Cardinali Angliae ut officium eius festi ex scripturis Evangelicis, sanctorum Patrum commentariis, et doctorum approbatorum assertionibus dictaret . . . Volens quoque Cardinalis praefatus vestigia patrum sequi, et mandatis Apostolicis obedire, iuxta dictamen Domini Bonaventurae Cardinalis de officio S. Francisci praedictum officium compilavit*; nullo modo igitur dubitare licet hoc officium illud ipsum esse, quod in Canusino codice legitur. Huiusmet Officii fragmentum etiam (nam folia multa desunt) legimus in uno ex maximi voluminis Membranaceis Libris omnis generis cantilenas ad Officia et Missas pertinentes continentibus, quos olim suo ab Episcopo Cardinali Ioanne Baptista Cibo, postea Innocentio *VIII* Melphictensis Ecclesia dono recepit, et adhuc servat. Quod si Visitationis hoc Officium cum altero vetusto S. Francisci, quo etiam nunc Fratres minores uti, nobis relatum est, comparare voluerit, is profecto inveniet quasi ovum ovo simile unum et alterum esse. Eadem dicendi emphasis, eadem sensus confusio, idem in ambobus perpetuus rithmus, ita ut vera narrasse Scultingus videatur a Cardinali An-

gliae iuxta dictamen S. Bonaventurae, Visitationis Officium compositum. Cum vero ignoramus, an Officium hoc fuerit usquam typis vulgatum, ideo illud edimus. Et quia istud idem Officium in Mss. Breviario Ecclesiae nostrae Melphictensis (de quo in Commentario praevio) invenimus, ex hoc et Canusini lacunas explere, et variantes etiam ad imam paginam adnotare placuit.

Visa fortasse, et olim etiam, Officii huius inculta facies. Narrat enim in historia Concilii Basileensis Augustinus Patricius apud eumdem Martenium anno scilicet *MCDXLIV* mense Iunio adprobatam fuisse formam novi Officii Visitationis B. Mariae, *quam ex multis Thomas de Corvellis* composuit. Hanc novam, quae dicitur, Officii formam illam esse putamus, quam in Breviario Lyciensi anno *MDXXVI.* impresso, et de qua etiam in Commentario praevio, legimus. Non omnino inelegans est, et in ipso Breviario admonetur, Officium praedictum a Xysto IV institutum cum indulgentia, ut in festo Sacratissimi Corporis Christi, quamvis non praecepto eiusdem Pontificis Ecclesiis datum, sed iis, qui vellent, indultum. In rubrica enim dicti Breviarii legitur sic = si quis voluerit, hoc proprium dicat officium, quod pulchrum ac facilius. Sin autem dicat officium de Nativitate Virginis mutato tamen nomine nativitatis in nomen visitationis.

Sequitur Missa propria S. Sabini celeberrimi Canusini Episcopi, necnon et peculiare Officium praedicti S. Pontificis, una et alterum ab Amanuensi fortasse depravata. Et Missa et Officium extra hodiernum sunt usum, quin et nulla de iis apud Canusinos memoria. Hinc et Ecclesiae Canusinae Canonicis potissimum, tum et aliis per Apuliam Ecclesiis rem gratam, ea hic edentes, facturos speramus. Et ad Missam quod attinet, pervetustam putamus, quod hexametris versibus, non tamen *Leoninis*, ut aiunt, abundet. Officium vero aliquos similiter desinentes versus habet. Lectiones porro matutini manifeste ex S. Sabini actis, quae ab Ill. Praeposito Tortora iterum recusa fuerunt, et quae apud Bollandianos etiam ad diem IX Febr. leguntur, desumtae sunt, quamvis ab his aliquibus in locis

non omnino congruant, quo magis edere placuit. Illud quam maxime notandum inter Episcopos, qui ad dedicationem Ecclesiae Baruli a S. Sabino vocati vulgo dicuntur, nomen haud legi S. Laurentii Sipontini. Denique ima in pagina eiusdem S. lectiunculas ex Mss. Breviario Regalis Basilicae S. Nicolai Barii, adnectimus.

IN VIGILIA

VISITATIONIS B. V. MARIE

EX BREVIARIO CANUSINO

Ad Vesperas.

Ant. Accedunt laudes virginis admirande indaginis noviter promulgate. En visitat helisabet Maria ipsa met celica probitate. *Psal.* Dixit Dominus.

Ant. Divino (1) repletur munere maria sine murmure cum filium concepit. surrexit ab oraculo statim in montis calculo abiit, et perfecit. *Psal.* Laudate pueri.

Ant. Ascendit (2) ardor spiritus Maria (3) tangens celitus de Nazareth migrando mox ad montana transtulit ubi tumultu caruit (4) seria degustando. *Psal.* Laetatus.

Ant. Monstrans culmen (5) marie (6) . . . sanguinis helisabet salutat stantem in domo proximi propinqua templo domini devota subministrat. *Psal.* Nisi dominus.

Ant. Carisma Sancti Spiritus diffudit se divinitus in puerum cum sensit (7): Conceptum salutiferum maria sibi obvium helisabet consensit (8). *Psal.* Lauda ierusalem.

---

(1) Dei
(2) accendit
(3) mariam
(4) superna
(5) Add. dulcedinis
(6) sui
(7) sentit
(8) cum sentit

Capitulum. Ego mater pulcre dilectionis timoris magnitudinis et sancte spei.

Ymnus. In Mariam vite viam (1) . . . . viventium pie venit qui redemit peccata delinquentium.

(2) Gressus cepit cum concepit maria multum properans: visitavit confortavit helisabet compaciens.

Salutatus inflammatus (3) helisabet et filius: exaudita (4) fuit ita de dono sancti spiritus

Impregnata gravidata (5) mater olim sterilis: in fans datus non dum natus exultat Christo iubilans (6).

Servit maior gaudet minor (7) in maria (8) fert solatium visitantis preparantis ad spiritum propheticum.

Precursorem, et doctorem Maria plebi indicat: qui rectorem pu(9)gnatorem digito mundo nuntiat.

Leva gregem, duc ad regem maria cunctos visitans: ut salvetur, et letetur cum sit mater meditans (10).

℣. Specie tua etc. ℟. Intende.

Ad Magnif. Antiph.

Acceleratur ratio in puero non dum nato instinctu sacri neuma tis

---

(1) matrem veram
(2) Gressum
(3) Salutatur inflammatur
(4) inaudita
(5) *Add.* sit
(6) iubilis
(7) *deest* in
(8) fit
(9) purgatorem
(10) medicans

divinitus sibi dato: novit presentem dominum in [(1)] virginem clam latentem ad doravit eum cum iubilo ad servum [(2)] venientem. *Psal.* Magnificat.

Orat. Deus qui abundantia caritatis beatam mariam tuo Filio impregnatam [(3)] ad salutationem helisabeth inspirasti presta quesumus ut per eius visitationem donis celestibus repleamur et ab omnibus adversitatibus eruamur. Per eundem etc.

Ad Matutinum Invitatorium.

Reginam celi mariam concorditer adoremus: Que visitans helisabeth spiritum contulit ut laudemus. *Psal.* Venite.

Ymnus.

O christi mater celica fons virtutis fluens gratia lux pellens *cuncta* scismata maria domino proxima.

Ex motu veri luminis transivit in monticulum [(4)]: *virgo iuvenis* vetulam de precursore gravidam.

Mater venit de Nazareth ut salutet Elisabet: *repletur dono spiritus* anus et eius Filius.

Helisabeth *complacuit* quod mater dei affuit: infans gaudet *in utero* presente *Christo domino.*

Marie visitatio exemplum dat prolatis [(5)]: quod sit parata *omnibus* ipsam pie querentibus.

---

(1) et virginem
(2) servitium
(3) fecundatam
(4) monticulis
(5) vicinis

(1) O Trinitatis clementia cuncta lavit (2) facinora per matris Christi merita nos ducat ad celestia.

In primo Nocturno.

Ant. De celo velud radius descendit (3) sacer spiritus helisabeth intravit. Mox benedictam dominam (4) ut virginem sanctitat propaginem prophetia salutavit. *Psal.* Domine dominus.

Ant. Inter turmas feminas, et sanctorum excubias maria collaudatur propter fructum qui queritur, quo mire mundus emitur, et plene visitatur. *Psal.* Celi etc.

Ant. Vocat hinc (5) matrem nomine domum (6) primum femina (7) Helisabeth in superna quod fuit clausus (8) altis in velatis misteriis notitia in eterna. (9)

In II Nocturno.

Ant. Non fuit christus honori (10) nec graves (11) moles pueri visceribus matris digne: sed ignara de pondere cum corporali robore transiliit benigne. *Psal.* Eructavit.

---

(1) *deest* O

(2) lavet

(3) descendens

(4) Virginem (desunt Dominam ut

(5) hanc

(6) Domina primo

(7) Famine

(8) clausum aliis sibi velatis

(9) terra

(10) oneri

(11) gravis

Ant. Transivit in itinere maria multum prospere montes (1) exultans scandendo: evitavit lascivias (2) propter morum constantiam colloquia spernando. *Psal.* Deus noster.

Ant. Longam viam pertransiit Maria montes circumivit hilaris laborando: honores mundi despicit (3) devotionem tenuit celica meditando *Psal.* Fundamenta.

In III. Nocturno.

Ant. Tunc (4) de sermone virginis dabatur donum flaminis matri simul et proli: hic gaudebat in utero helisabet (5) previdit de puero et de regina Poli. *Psal.* Cantate.

Ant. Adest mira credulitas ac virginis fecunditas per exemplum monstratus (6): Concepit prima (7) sterilis que vox est impossibilis natura (8) precibus datur. *Psal.* Dominus.

Ant. Fit nature propinquum consortium: fit filius quam virgo fiat prognatus. sed . . (9) . . . factibile domino nec impossibile (10).

Adnotatio.

Sex lectiones primae, sunt ex bulla Urbani VI. excerptae: tres ultimae ex Evangelio *Exurgens Maria* et Homilia *S. Augustini* Episcopi = *Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt fidem obstruant* (sic) Responsoria vero quae sequuntur.

(1) monticulos

(2) laxiviam

(3) respuit

(4) Ad sermonem

(5) Hec

(6) monstratum

(7) prius

(8) nisi precibus datum

(9) Sed nihil impossibile nec infactibile per verbum suum dedicans

(10) est

1. Exurgens maria gravida migravit per cacumina dulce intravit domum propere Zacharie cum ope salutis consoprine *. Ut audivit helisabeth salutes mox de Nazareth exclamavit mirative.

2. Dixit verba prophetica helisabeth celicola de virgine maria: Beata es (1) que credidit: in hac fient que didicit a domino mente pia: *. Venit ex te sanctissimus vocatus dei filius sicut predixit angelus sue matri in via.

3. Helisabeth congratulans profunde se humiliat in adventu myssie: unde ait condeceat quod mater dei veniat ad me cum plausu vie *. En felix salutatio dupplicata exaltatio dabatur consoprine.

4. Maria parens (2) filios querit depositos in sortem mortalem clamans clamat (3) . . . . ut sublevet ne pene ruant mali.

5. Rosa de spinis prodiit virgo (4) de jesse floruit maria visitavit vis odoris diffunditur tota domus perficitur gratia cum intravit *. Miranda salutatio fit plebi gratulatio que fructum expectavit.

6. Stella sub nube tegitur maria mundo primitus rutilans in splendore: helisabeth perducitur ad solamen lux spargitur roboratis (5) in vigore *. Luna soli coniungitur helisabeth pie volvitur (6) estuans in amore.

7. Occasum virgo nescit velut lux mundi (7) . . . . . de summo fundens lumen: helisabeth applicuit devota gratiam (8) adtrhait de celo (9) pro-

---

(1) est

(2) Filios plangens querit deperditos in scelere mortali

(3) clamans clamat ut relevet et manus ponit ut sublevet ne pena ruant mali

(4) virga

(5) roborans

(6) devolvitur

(7) profluit

(8) sibi adtrhait

(9) perardens numen

dens lumen. ☩. Spiritus capit[1] symbola celestibus conformia tamquam aquarum flumen.[2]

8. Thronus[3] lucis prospexerat que ut aurora fulserat sole mane splendentis[4] helisabeth ut audit[5] verba que palam prodit[6] spectacula suadentis. ☩. In marie presentia plura patet licentia helisabeth dicentis.

9. Helisabeth ex ope[7] signorum dat pro pignore mariam invocare quam gratiam[8] construxerat et pietas commoverat vetulam visitare ☩. nullus diffidat hodie ad mariam confugere sibique supplicare.

Ad Laudes.

Ant. Sacra dedit eloquia maria responsoria helisabeth laudante.[9] *Psal.* Dominus regn.

Ant. Tunc exultans[10] animus cum ipsius sit filio angelo nuntiante. ancilla dei credidit confestim[11] ubi genuit maria supplicante. *Psal.* Iubilate.

Ant.[12] Olera humilitatis fuit Christi conceptio deo[13] recipiente et his[14] laudabunt singuli[15] matrem seculi ipsamet sic dicente. *Psal.* Deus.

---

(1) rapit
(2) Aquarum flumina helisabeth fluxerat
(3) Thronum
(4) splendente
(5) ubi vidit
(6) protulit speculo suadente
(7) Ore
(8) gratia constrinserat
(9) laudanti clamavit domino canticum magnificando dominum de sursum bona danti
(10) Tunc exultavit animus virginis fit filius
(11) verbum
(12) vera humiliatio fuit
(13) Domino respiciente
(14) ex hoc
(15) Mariam matrem

Ant. Magna perfecit dominus in marie virtutibus dominum concipiendo: fit mater plena gratia et imperatrix venie omnibus ministrando. *Psal.* Benedicite.

Ant. Quia[1] tribus mensibus qi[2] stetit laboribus Helisabeth subdendo: conferebat de Angelo, et de voluntate[3] misteriis que protulit salutando.[4]

Ymnus.

De sacro tabernaculo virtutum flos egreditur: in montis diverticulo odor marie spargitur.

Ex caritatis germine helisabeth appropriat: et pietatis culmine ipsam devote visitat.

Salutat servam domina helisabeth[5] matrem Christi nominat: confertur infans[6] gratia matrem complens[7] satiat.

En Christus[8] incarnatus nondum natura panditur hoc adorat cum gaudio qui ventre matris clauditur.

Clamat senex cum iubilo videns marie gloriam[9]: beata crederis angelo fuisti rem veriticam.

Hic stupet rerum regula nominum[10] mutans ordinem: ubi fiunt miracula per solum Ecclesie[11] Principem.

---

(1) Maria
(2) quibus
(3) verborum
(4) mutum audivit eloqui prophetias domini de Christo declarando plura vidit de puero mirabili ab utero precursorem vocando. Facta post reverentia reversa est ad propria maria contemplando
(5) hec
(6) ingens
(7) et prolem baiulat
(8) Christi incarnatio per nondum natum panditur: hunc
(9) beatam credens
(10) natura
(11) celi

Presta virgo piissima sufficiens auxilium: cum sis mater largissima nos visitet[1] in seculum.

Ad Benedict. Ant.

Adiutrix visitatio, et frequens ministratio helisabeth oblata: maria dat propitiam ad impetrandam gratiam cum fuerit vocata. Nam[2]. . . . est ecclesie fluctuantis navicule subditos gubernando promtos suo regimini dei gentibusque flamini devote[3] visitando.

Ad Magnif. ant.

Iesu redemptor optime ad mariam nos imprime ut mundi advocatam[4] pari forma nos visitet sicut fecit helisabeth per suam[5] pietatem. Mores et actus dirigat et ad celum elixiat[6] per gratiam collatatam[7].

---

(1) visites in secula
(2) mater
(3) devios
(4) invccatam
(5) summam
(6) allixiat
(7) collatam

IN FESTIVITATE S. SABINI EPISC. ET CONFESSORIS MISSA.

Introitus.

Quem dominus meritis decoravit Christus opimis laudemus suavi concentu beatum virum. candida propitius conservet munera gentis. Dilectum a Deo presulem sabinum. Pastor perpetue gratulamur munera vite Memento domine. Gloria.

Oratio.

Deus illuminator omnium in te sperantium, cuius virtute beatus sabinus confessor atque pontifex ita illuminatus est ut venenum mortiferum bibens non solum illesus evaderet sed et vates claresceret magnus concede propitius ut per illius intercessionem mereamur in nobis extingui mortifera et adipisci bona celestia. Per etc.

Lectio lib. Sap.

Iste confessor magnus qui quasi stella matutina in medio nebule et quasi luna plena in diebus suis lucet. et quasi sol refulgens. sic ille effulsit in templo dei. Quasi lilia que sunt in transitu aque et quasi thus redolens in diebus estatis. Quasi ignis effulgens et thus ardens in igem. Quasi vas auri solidum. Ornatum omni lapide precioso. Quasi oliva pullulans. et cipersus (sic) in altitudinem se extollens. In accipiendo ipsam stolam glorie. dedit sanctitate amictum. Corona fratrum quasi plantacio cedri in monte libano. Dedit gloriam deo a labiis suis in nomine eius gloriatus est ℟. Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit deo ℣. Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi. *All.ª*

Sancte Sabine confessor Xp.[i] intercede pro nobis ad dominum nostrum. *All.[a]* *Tract.* His sibi decessum prenoscens se propinquum..

℣. Omnia discipulis referat ventura paratis. ℣. Has monet mundi tenebras calcare caducas ℣. necnon et stolidam semper contepnere sectam. ℣. Ne quemquam raperent tyronem tartara seva. ℣. Et dictis policam hiis letus pergit ad aulam. ℣. secum nos precibus faciat gaudere beatis.

Secundum Matth.

In illo tempore: dixit Ih.[s] discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens etc.

Off.[m] Ad templum almi praesulis. hospes quidam gravi detentus languore veniens sanitatem quam optabat citius assecutus est.

Secr. Sancti Sabini confessoris tui domine hostiam que in eius sollepnitate tibi offerimus. nos tibi reddat acceptos. ac protegente nos muniat. etc.

Com. Obsequentibus hodie Angelis beatus Sabinus letus petiit regna pulorum (1) ubi dignatur nobis esse assiduus intercessor.

Sancti Sabini quesumus domine merita tueantur in cuius natale sumpsimus tua sancta letantes p. d.

Ex Breviario Mss. ad usum Ecclesiae Canusinae circa medietatem saeculi XV exarato.

In vigilia sanctissimi Confessoris Archiepiscopi Canusini.
Ad Vesp.

Ad horam refectionis misit per puerum beati viri; quem suadens ut extingueret sanctum, cuius presulatum attingere anhelaret. *Ps.* *dixit.* *A.* Hoc confessor precognovit. puero tunc ait bibe quod porrigis

(a) alias *polorum*

in fidelissime puer quia scis qui in illo latitat finis. *Ps. Confitebor* = Ad os manum extendens puer perimere se temptat. quia vultum non ferens sancti *Ps.* Beatus vir. *A.* Michi ferte . . . . tunc ait presul ego bibam sed ille episcopus non erit. *Ps.* laudate. *A.* Tunc admirabile factum est dum confessor Xp.[i] Sabinus potavit venenum Vindemio patraturi funeris viri dei procul qui erat vitam extorsit.

Cap.[lum] Ecce Sacerdos magnus qui quasi stella matutina.

Ymnus.

Christe rex regum metuende celorum. nostras exaudi preces quibus rogamus aperi nobis os ad laudem tui sancti Sacerdotis. Concede nobis laudem ut pangamus sancti sabini tui confessoris. annua cuius recolimus festa mente devota. Adesto noster sacer intercessor. pro tuis sepe famulis exora et refove tuam canusinam plebem quam generasti. Fuit vir iste astra (*) micans mundo ignaras mentes lumine illustrans. colla superba iugo flectit Xp.[o] Canusinorum. Regis sagacis dolum precognovit. pueri loco pateram dum ferret ad propinandum sanctissimo Sacerdoti mirans abscessit. Multis vir ille virtutibus fulsit dum mundo vitam gerit in presenti. previdit cuncta gentis affutura. tunc predixit greges dispergendas esse. Erute edes vacue manerent. stragi tumbam additam iam esse. tempore prolixum. Que ira flammescens Vindemium quidam spiritus nequam predicti levitam honore summo cupit adipisci. iam sacerdotis. Puerum misit vasculum qui ferret quo claudebatur funus confessoris. ut dum sacerdos Xp.[i] hoc potaret vitam finiret. Omnipotentis autem denudavit dolum illius p.[stum] (**) precognovit signumque crucis vero super ponens p.[tus] securam. Virus hoc bibam puero tunc ait. Sed non quod cupit. illi adi-

---

(*) *Lege* astrum.

(**) praestitum fortasse.

piscit. statim vitam extorsit levitam. procul qui erat. Gloria patri resonemus ore: et tibi Xp.e genite sempiterne. Cum quibus sanctus simul et creator spiritus regnat. Amen. ℣. ora pro nobis ℟. ut digni.

Ad M. A.

Ardens et lucens stella splendida matutina beate sabine confessor et pontifex tenebras ita lorum (sic) radiis illustrasti propriis ac verbi dei arida irrigasti corda doctrinis pro tuis exora famulis quorum colla subdidisti pastori. *Ps.* Magnificat.

Oratio.

Deus illuminator omnium in te sperantium cuius virtute beatus sabinus confessor atque pontifex ita illustratus est ut venenum mortiferum bibens non solum illesus evaderet sed et vates claresceret magnus concede propicius ut per illius intercessionem mereamur venena in nobis extingui mortifera et adipisci bona celestia. per Dom.

Ad Invitatorium.

Venite H.s ad collaudandum regem regum dominum. qui triumphat in confessore suo Sabino. *Psal.* venite. ymn. Iste conf.r *In p.o n.o an.* Pontificalis apex veneratur iura cathedre quam primum mitis Sabini conscendit herum (*). *Ps.* Beatus vir. *A.* In super excelse positus fundamine Sabine. moribus exornans humeris quos tuta reportat. *Ps.* Quare. *A.* Anthiocene (**) domini divini lumine solis. irradiata sacrum decus hoc colit

(*) Fortasse legendum : *Sabinus conscendit in aevum.*

(**) An e Graeco compositum vocabulum, quasi Flos novellus? Videant docti.

Ex Brev. Mss. Insignis Basilicae S. Nicolai Barii = ad diem IX Februarii In depositione corporis S. Sabini omnia fiunt de uno Confessore Episcopo.

Ant. ad M.

Ardens et lucens stella splendida matutina beate Sabine Confessor et pontifex qui tenebras ita lorum (sic) radiis illustrasti propriis ac verbi dei arida irrigasti corda doctrinis pro tuis exora famulis quorum colla subdidisti pastori. *Psal.* magnificat.

omnis et orbis. *Ps.* domine quid. ℣. amavit eum dominus. ℣. stolam glorie.

Lect. I.

Voluntati tue parere pontifex summe cupio. sed mens multis refugit gravata peccatis. tanti viri virtutum miracula pandere. Tamen solet per texteam lucernam clarum lumen effici. et in vase plumbeo optimum repperiri unguentum. Sed quia preceptis obedio pontificalibus credo me illius precibus adiuvari. Ego vero sanctissimi viri Sabini miracula in dialogis beati gregorii dudum iam repperi. que et sanctitati tue puto esse notissima. Sed gratiora ex nostro (*) ore quasi philosophica aures carmina demulcent nostrorum. Prius tamen scribenda existimo. que in libris invenimus exarata. deinde que nostris temporibus summa veritate (**) possint cognosci.

Resp.

Agmina sanctorum angelorum letantia pro concivi vestro Sabino de quo gaudet Xp.[i] Ecclesia feliciter, et refulget pollenter. ℣. omnes virtutes et omnis militia celestis merito gloriamini cum beato Sabino. De quo =

Lect. II.

Iustiniano igitur Augusto regnante eius temporibus multis in locis ad Xp.[i] gratiam et animarum nostrarum domino favente. non pauci tunc

---

(*) Tar. Sancto. (**) T. Virtute.

Orat.

Deus qui beatum Sabinum confessorem tuum atque pontificem celitus edoctum populo tuo patrem esse fecisti tribue nobis digne eius subsequi exempla, quibus perduci mereamur ad felicia eius gaudia celestia. per

Lectio I.

Igitur predicti Xp.[i] famuli seriem omnem proceres ac precipui viri italie sepius videre cupiebant et cum viro sanctissimo celestibus pabulis epulare unde cum germano capuane Ecclesie pontifice crebris familiaritatibus veniebat.

claruerunt viri. Ex quibus multa grata et imitanda. innumeris invendiuntur (sic) codicibus. inter quos beatus ac venerabilis canosine ecclesie Sabinus invenitur. Hic enim ab infantia omnipotenti domino viribus omnibus placere cupiens. carnisque contemnens voluntatem. animum ad celestia sublimabat. Tanta in illo erat gratia. ut nullus ambigeret celestia cogitare. Illius etiam opus foris ostendebat quod interius assidue meditabatur. ℟. ℣.

Ecce vere israelita in quo dolus non est inventus. qui probatus temptamine est. Sacerdos magnus iuxta ordinem Melchisedech. ℣. statuit illi testamentum sempiternum quia probatus temptatus est. Sacerdos.

Lect. III.

Erat enim pietatis intentus. iustitie amator. pauperibus largitor. hospitibus gratus. Orphanorum levamen. Viduarum certa protectio. Quis ad illum tristis advenit et non letus abscessurus? Quis in illius oculis ira agitatus non est illico sedatus ? Quis fastu superbie inflammatus. et non illius insaniam mitigavit? ex illius ore quasi serotina et temporaria pluvia corda audientium elapse irrigabant. Nemo dure mentis ad illum venire poterat qui non eiusdem doctrinam delectaret.

Resp.

O quam admirabilis vir iste Sabinus inter antistites nobis qui . . . .

Lect. II.

Sed et cum benedicto Christi famulo in Casino castro posito assidua amicitia loquebatur. Eumque invisere per singulos annos consueverat ut gregorius romane urbis narrat episcopus.

Lect. III.

Nam quodam tempore ad eundem dei famulum benedictum prefatus vir visitandi gratia advenisset et de totyla gothorum rege ac romane urbis interitu eloquucio oriretur. benedictus ait.

suis temporibus clara et futuris prebuit exempla. Unde feliciter exultat Xp.[i] ecclesia. ℟. Laudibus gloriosis . . . . . beate Sabine letare cum sanctis. Unde etc.

In II. Noct. Ant.

Huius amore deus servorum tege reatus. Ut tibi qui placuit placitos reddere possit = *Psal.* Cum invocarem = *Ant.* Pande tuis celum quesumus servis magne Sacerdos. ne tibi commissos invadat pestifer anguis = *Psal.* = Verba mea = *Ant.* = Sidera scansurus terrisque hic dona daturus. quos deus elegit tibi pastor savine subegit. = *Psal.* d. domin. nr. ℣. elegit eum deus sac. ℟. ad sacrificandum.

Lect. IIII.

Audiendo quidem veluti a summo artifice lapis emolliri solet molliebat hic multorum corda italorum ex gentilium tenebris. Ad verum lumen fidei perduxit. Nec enim quosdam Xp.[colas] quos adhuc gentiles laborabant errore ad ecclesiasticam normam revocavit.

Et ut super candelabrum lucerna posita. iuxta evangelicam vocem. omnes qui in domo stant dei illuminavit. ad pontificalem est gloriam sublimatus. In quantum se in summo culmine esse conspiciebat. tantum se humilitatis gubernaculis continebat. reminiscens illud quod dicitur. quanto magnus es humiliare in omnibus. unde et ab omnibus amabatur.

Lect. IIII.

Roma a gentibus non dissipabitur. sed suis vetustatibus et terremotu fatigata marcescet in semetipsa. Quod ex magna parte factum esse cernimus sicut mihi ii qui in illius itinera, frequentius ambulant retulerunt.

Resp.

Ecce virum prudentem, qui edificavit domum suam supra petram. in cuius ore non est inventus dolus. Quia dominus elegit eum in Sacerdotem suum = ℣. = non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi. Quia etc.

Lect.° V.

Quis enim scribere poterit quanta in eo erat largitas conditoris. qui ita erat immobilis ut nullis adversis moveretur nulla letitia sublimaretur nullo unquam munere in partem verteretur. Nos si omnia vite illius virtutum bona narrare volumus de his que dicenda sunt statim cessamus. Atque utinam aut Augustinus, aut doctorum aliquis nostrorum hisce temporibus . . . . elegantioribus vitam viri huius contexere non valens miraculis decorabo.

Resp.

Vere Israelita gaude . . . . . . Xp.[um] ora pro nobis = ℣. = Ut precibus tuis a domino veniam flentibus devotis ad te confugientibus. Ora etc.

Lect. VI.

Igitur predicti Xp.[i] famuli faciem conspicere ac propius viri verba

---

Lect. V.

Sicut etiam eam absque habitatoribus ex tanta multitudine remansisse et que gloria florebat . . . . doctorum nunc . . . . . . et diversis vitiis abundare. Silencio tamen hoc didicimus, quoniam vigor sancte ecclesie deo favente in illa primatum tenet.

Lect. VI.

Sed quia a narracione paululum discessimus ad sancti viri narranda miracula revertamur. Itaque dei famulus sabinus ab omnibus merito venerabatur in tantum et ut rome urbis gelasius pontifex pre ceteris Episcopis socium cum haberet et comparem.

sepius audire cupiebant et cum viro sanctissimo celestibus pabulis epulari. Unde et cum germano capuane Ecclesie pontifice crebro familiariter conveniebat et cum benedicto Xp.[i] famulo ire . . . . . . castro posito assidua amicitia iungebatur eumque per singulos annos invisere consueverat. ut gregorius romulee narrat Episcopus. Nam . . . . dei famulum benedictum . . . . · , visitationis gratia adventasset. et de totila gothorum rege ac romane urbis interitu locutio oriretur. benedictus ait: roma a gentibus non dissipabitur. sed suis vetustatibus et terremotibus fatigata macessit in semetipsa. Quod ex maxima parte factum cernimus sicut michi qui illis in partibus frequentius ambulant retulerunt.

Resp.

Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominum qui ad gaudium transiit angelorum. Quoniam in hac peregrinatione solo corpore constitutus cogitavit et aviditatem in illa eterna patria ≕ ℣. ≕ Vinculis carnis absolutus talentum sibi creditum domino suo duplicatum reportavit ≕ Quoniam etc.

In III. Noct. Ant.

Qui regis claves et curam gestas ovilis. Presul de quo omnis vite renovatur origo ≕ *Psal.* ≕ Domine ≕ *Ant.* ≕ Hic celi terre qui urbis commisit habenas. ut reseret clausis soluta vincla ligatis ≕ *Psal.* ≕ Domine ≕ *Ant.* ≕ . . . . Dignitatem . . . . Apostolici . . . . . claviger assecutus es. qui Xp.º ardenter obsequens toto corde assecutus est. . . . ℣. ≕ tu es sacerdos ≕ ℟. secundum Ordinem ≕

Lect. VII.

Sicut etiam eam absque habitatoribus ex tanta multitudine remansisse et que gloria florebat . . . . . nunc diversis vitiis imbuerat: Silentio tamen hoc notamus . . . . sancte Ecclesie domino . . . . . . primatum tenet. Itaque dei famulus sabinus ab omnibus . . . . . venerabatur in tantum ut rome urbis gelasius pontifex pre ceteris episcopis socium eum haberet et compartem. Nam cum barolitanam ecclesiam dedicare in honore beatissimi Andree Apostoli voluisset eundem gelasium papam ad se adventare rogavit. Quod factum est,

Resp.

Sancte Sabine christi confessor audi precantes servulos et impetrare celitus miseris indulgentiam = *. = O sancte Sabine spiritu associatus domino omnes tuorum gemitus solita suscipe clementia,

Lect. VIII.

Cumque supradictam Ecclesiam dedicare poposcit. satis de adventu prime sedis episcopi gaudens. Quapropter hilari animo cum ceteris

---

Lect. VII.

Nam cum barolitanam Ecclesiam dedicare in honore beatissimi Andree Apostoli voluisset eundem gelasium papam ad se adventare rogavit quod et fecit.

Lect. VIII,

Quam supradictam Ecclesiam dedicare poposcit satis de adventu prime sedis episcopo gaudens,

Lect. IX,

Quapropter alacri animo cum ceteris episcopis quos ad dedicationem ecclesie eiusdem vocaverat omnipotenti deo gratias egit eo quod ad se tantus pontifex advenisset.

episcopis. quos ad dedicationem eiusdem ecclesie vocaverat. omnipotenti deo gratias egit. Nam et nomina episcoporum qui vocati sunt hic enumerare existimo. Palladius Salpitane Eutitius Tranensis Iohannes Rubesane Austerius Venusine. Erat autem venerabilis vir restaurator ecclesiarum, et gubernando animas totus intentus . . . . . talent a dominica . . . . . acceperat . . . . . domino suo . . . . . cum lucro reportare. Et quia quinque et duo talenta in se cognoscebat. cupiebat duplicare que sibi commissa credebat. In exterioribus augebat quinque intus augebat duo idest active et contemplative vite. quibus santa, et immaculata regitur ecclesia. Non intellectus in eo sine opere, sed iugiter cum intellectu iungebat opus. Quod suo gregi predicabat ille abundantius faciebat.

℟. Laudemus dominum in beati sabini meritis gloriosis. Ad sepulcrum eius egri veniunt et sanantur ℣. vere mirabilis dominus qui assiduis beatum sabinum miraculis coruscari facit. Ad sepulcrum. Gloria Pat.

Lect. IX.

Suadebat omnibus mundi huius prospera esse vanissima et quasi flumina labentia velociter deperirent. Numquam a doctrina lingua et a restauratione venerabilium locorum cessavit manus. Pulcro siquidem opere in Canusina civitate beati Cosme et Damiani martirum in honore basilicam extruxit, eandemque diversis coloribus ac musivo decoravit. Necnon et beati iohannis baptista. hac (sic) precursoris do.[ni] nostri ih.[u] Xp.[i] excelso culmine cameram iuxta ecclesiam beatissime semper virginis dei genitricis marie condidit. Et apud ecclesiam predicti precursoris domino Salvatori templum magno decore constituit. Sanctus quippe vir cum iam longa senectute faticaretur lumen amiserat oculorum, cum iam sancti spiritus lumen oculos illustraverat mentis. Et quia multis fuerat spiritualibus donis ornatus cepit et cecus spiritu prophetie videre. Nec diu hoc latuit tota namque ytalia eum hahere spiritum prophetie audivit.

Quod et ab omni populo creditum est fideli. Gaudenti quod talem sibi suis diebus dominus constituisset pontificem.

Ad laudes et per horas ant. Ecce Sacerdos magnus *cum reliquis de communi Confessorum. Cap.* Ecce Sacerdos magnus. *Ymn.* Ih.[u] redemptor omnium ℣. ora pro nobis beate Sabine ℟. Ut digni. *ad Bened. ant.* Gloriosus Xp.[i] confessor domini Sabinus vitam angelicam gerens in terris speculum bonorum operum factus est mundo cum Xp.[o] iam sine fine regnat in celis *Or.[o]* Deus illuminator *Ad III VI et IX Cap. et Ymn. omnia dicantur de communi conf. pont. Ad vesperum an.* Ad horam refectionis *cum reliquis ant. et psal. In fine psal.* Memento *Cap.[lum]* Ecce sacerdos magnus. *Ymn.* Christe Rex regum. ℣. Ora pro nobis. ℟. Ut digni. *Ad m. a.* Sacerdotum diadema Sabine piissime nostra refer in excelsis vota pio iudici, ut tuo adipiscamur s.[to] patrocinio iam exacto vite cursu delictorum veniam.

Ad imam paginam haec legitur adiectio aliena sed antiqua manu.

Ad IX Cap.

In accipiendo stolam glorie dedit sanctitatis amictum. Corona fratrum quasi plantacio cedri in monte libano. Dedit gloriam deo a labiis tuis et in nomine eius gloriatus est.

AD DIEM IX. FEBRUARII ORDINIS MISSAL. MELPHICT. I.

DE B. CONRADO BAVARO ORDINIS CISTERCIENSIS
MELPHICTENSIUM CAELESTI VIGILANTISSIMO PATRONO
COMMENTARIUS HISTORICUS.

Conradus, qui Sancti titulo a Melphictensibus honestatur, et cuius translationis festum ad diem IX Februarii, et rubris quidem litteris adscribitur in Kalendario Missali Ordini, de quo in Praefatione Generali, praefixo, is est qui uti praecipuus Civitatis Patronus a Melphictensibus, pluribus abhinc saeculis colitur. Nec tantum in kalendario eius festi commemoratio habetur, quin etiam et in Missali ipso Missa specialis legitur cum Introitu = *Gaudeamus omnes* etc., et tribus propriis Orationibus, quas ad imam amandamus paginam (1). Commentari igitur de hoc Beato aliquanto longius placet, et quod historia vitae, eiusque apud nos cultus, aliquibus obnoxia sit difficultatibus, et etiam quod patria ipsa, ut quam maximam operam conferamus nostram, ad veritatem dilucidandam, requirere immo et extorquere videatur.

Eius historiam P.Antonius Damianus Societatis Iesu undique colle-

---

(1) Orat. Deus qui B. atum Conradum Confessorem tuum, eremique cultorem celestis patrie civem efficere voluisti, concede propitius, ut eius memoriam venerantes calcatis terrenorum affectibus supernis desideriis accendamur.

Sec.[a] Plebis tue quesumus Domine vota benignus adtende, que in beati Conradi Confessoris tui memoriam sacris altaribus offeruntur.

Postcom. Populum tuum domine beati Conradi Confessoris tui intercessio gloriosa conservet, ut que tibi sunt placita frequenter exerceat et laudabili fine concludat.

ctis monumentis exposuit, eaque typis edita fuit Neapoli apud Lucam Antonium de Fusco anno MDCLXX. Tum, et excerptum ex ea Compendium D. Ferdinandus Orlandius celebris memoriae Caelestini Orlandii ex fratre nepos scripsit ediditque Neapoli Typis Paci *MDCCLXX.*

In fronte vero Damiani Historiae caelato ex aere expressa habetur Beati nostri imago, quam ex antiqua picta tabula in Collegio Societatis Iesu tunc temporis servata desumtam fuisse Damianus adfirmat. Beatus noster virilis aetatis specie, severo gravique vultu aspicitur, barbatus, nimboque circa caput ornatus. Vestem manicatam habet et amplam, seu tunicam monasticam, quam dicunt, quae lora pellicea fibulae ope ad lumbos adstringitur; supra tunicam vero Pallium Fibula quoque prope pectus constrictum. Sinistra manu nodosum baculum transverso ligno, veluti manubrio superius adiuncto, dextera vero globulorum seriem per filum in orbem decurrentium, quam *Coronam* dicunt. In prospectu vero Urbs Melphicti cernitur in peninsulae formam, ut antiquitus ferme erat, ita ut elogium illud Ferrarii in Geographico Lexico meruerit = *Urbs parva sed elegans.* Aliquot in mari, quo urbs alluitur, apparent naviculae, quas inter una magnitudine alias praecellit, eaque vela contrahere videtur. Sed de hoc satis, et ad Damianum ipsum, et ab eo conscriptam historiam redeamus. Non ille quidem sese immunem omnino a saeculi, quo vixit, genio, vel potius labe praestare potuit; multa tamen copiosaque ei debetur laus, quod summo labore, maximaque, qua poterat, diligentia Beati nostri Genealogiam amplissime, et vere descripserit, monumenta ad eum pertinentia undequaque collecta congesserit, et quod ab eiusdem nominis Sanctis vel illustribus pietate viris distinxerit, tum et errores scriptorum aliquot detexerit. Dignus sane homo, cuius memoria in Melphictensium aeternam benedictionem merito esse debeat.

Damianus itaque Conradum nostrum ex nobilissima insignique *Guelpho-Athestiorum* gente ortum docet, filiumque illum fuisse Henrici Cognomento *Nigri* Bavariae Ducis, et Wulphildae ex Saxoniae Ducibus,

necnon et Friderici I Imperatoris avunculum fuisse, cum hic ex Iuditha sorore natus fuerit. Conradum deinceps, puerum adhuc, sub disciplina Friderici Coloniensis Episcopi educatum, et ab illo clericali militiae adscriptum narrat; postea Cisterciensem Monachum sub Divi Bernardi disciplina, eoque permittente in Palaestinam loca sancta visitandi caussa peregrinum, ibique aliquot per annos Eremiticam egisse vitam, denique adversa laborantem valetudine, et ad propria redeuntem, Barium appulisse, et viribus omnino fractis in Crypta quadam prope Meduneum delituisse, ibique diem clausisse extremum. Haec porro est Beati nostri vitae historica Synopsis; sed praestat e Damiano excerpta monumenta exscribere. Hinc adnotationes nostras et alia quaedam penu ex nostro dabimus.

Agmen ducant Altorfensis Monachus, et Uspergensis Chronista (1). Et ille quidem sequentia scripsit = Conradus in Clericum ordinatus, » cum sub puerilibus annis domi literarum studiis informaretur, tem» pore maturo Coloniensi Archiepiscopo altiori studio, et disciplina clau» strali educandus committitur. Ibi in utroque tantum profecit, et a» liis virtutibus, vitia declinans, tantum se exornavit, ut ab omni cle» ro, et populo amaretur, et ab omnibus summo honore dignus iu» dicaretur. Ipse vero honores, divitias, laudem humanam fugiens, qui» busdam se monachis sociavit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus, » Claravallense Monasterium adiit, ibique Monachum se fecit. Deinde pro» cedente tempore Ierosolimam petiit, ubi cuidam servo Dei in Eremo » manenti adhaesit (2). Tandem sentiens se quadam infirmitate tactum,

(1) Apud Canisium. Antiqu. Lect. Tom. II.

(2) An forte Guilielmus ille fuerit celeberrimi nominis ea aetate in Palaestina eremita, qui in *Evangelii testimonium* montem alio transtulisse fertur? Videantur quae de illo occasione caelestis ignis Hierosolymis Sabbato Sancto descendentis, iam superius dicta sunt.

» de reversione cogitavit, et ingressus Navim, Barium Civitatem S. Nico-
» lai pervenit, ubi beato fine diem ultimum clausit, honorificeque se-
» pultus ibidem requiescit. Circa idem tempus pater quoque eius, et
» mater: pater in Castro Ravensburg, mater in Altorfensi XVI die post
» mortem mariti abierunt, et in Monasterio Sancti Martini sepulti sunt. «

Menologium item Benedictinum a Claris. Gabriele Bucelino typis mandatum Antuerpiae anno 1655 quae sequuntur, habet.

XVII MARTII.

» Barii in Apulia, Beati Conradi, Monachi Claraevallensis, virtute
» et genere Illustrissimi. Conradus Henrici Magni, sive Nigri, Princi-
» pum Germaniae omnium longe Potentissimi Noricorum Ducis etc.
» et Vulphildis Saxonum ducissae, parentum religiosissimorum filius,
» Henrici superbi frater germanus, Cuculli amorem a pueritia imbibit,
» et prae omni parentum, maiorum, et fratrum gloria, servitium Chri-
» sti adamavit. Apud Weingarttenses sanctissime educatus, atque lite-
» ris probe institutus, Coloniensis postea Metropolitanae Ecclesiae factus
» Canonicus, nihil quam Monachicae vitae securitatem, et dulce consor-
» tium Sanctorum cogitavit. Ne tamen vel a parentibus, idem postea Institu-
» tum in Monasterio Weingarttensi amplexis, impediretur, vel praesentia
» illorum et aulae procerum solatiis, et gratiae divinae obstaculum po-
» neret, externa magis in provincia, quam patria, vitam amplecti Mo-
» nachicam statuit, et cum celebre tunc nomen a disciplina Claraevallis
» in Gallia esset, eidem se subduxit, atque pro voto susceptus, in-
» signi humanarum rerum contemptu, atque animi demissione excel-
» luit. Demum Sancti Conradi Episcopi cognati sui imitatione, et suo-
» rum superiorum concessione, ad veneranda Christi Domini vestigia
» Ierosolimam profectus, ibidem cuidam servo Dei in Eremo manenti
» adhaesit, totumque divinarum rerum meditationi se dedit. Reversus

» rum Claravallem, et iam constitutum in itinere mors apud Barium
» Apuliae intercepit, et pro Claravalle ad montem gloriae, et caele-
» stem Ierusalem duxit, cuius Sacrum Corpus honorifice Barii sepul-
» tum requiescit »

His addendus Philippus Seguinus, qui lib. 3. Sanctorum Ordinis Cisterciensium hoc nostrum Beatum ornat parvo elogio.

» Guelpho IV qui primus dux Bavariae fuisse dicitur, duos fi-
» lios habuisse memoratur: Guelphonem qui Matildam nobilissimam
» Bonifacii Marchionis Monferratensis filiam duxit, et Henricum, qui
» Vulfildam natam ducis Saxoniae. Sed primo sine liberis defuncto se-
» cundus succedit, cui praeter alios, quos ante usum rationis deceden-
» tes per baptismum ad Caelos destinavit, tres filii, et quatuor filiae
» contigere, Conradus, Henricus atque Guelpho: Iuditta, Sophia, Ma-
» tilda, atque Vulphia. Caeterum de Conrado ipso primogenito cum
» successionem in paterna ditione reliquisset Henrico, audi quod se-
» quitur. Conradus in Clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis
» domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo Coloniensi Ar-
» chiepiscopo cultiori studio, ac disciplina in claustrum educandus com-
» mittitur. Ibi in utroque tantum profecit, sed et aliis virtutibus vitia
» declinans, tantum se exornavit, ut ab omni clero, et populo amare-
» tur, et ab omnibus summo honore dignus iudicaretur. Ipse vero ho-
» nores, divitias et laudem humanam fugiens, quibusdam se Monachis
» sociavit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus, Claravallense Mo-
» nasterium adiit, ibique Monachum se fecit. Haec magni Principis ini-
» tia in Religione, quae ad ignorantiam anni, in hunc locum traden-
» da reservavimus, in eadem crevisse compertum est, aliter nunquam
» sibi dimittendus, nec permittendus abire Ierosolimam loca sancta cum
» aliis visitaturus, multo autem minus vitae solitariae, Eremiticaeque,
» quantum in Oriente cum sanctissimo alio Eremita aliquandiu fecisse,

» sic etiam scribitur: procedente tempore Ierosolimam petiit, ubi cui-
» dam servo dei in Eremo manenti adhaesit, tandem sentiens se qua-
» dam infirmitate tactum de reversione cogitavit, et ingressus Navem
» Barium civitatem S. Nicolai pervenit, ibi beato fine diem ultimum
» clausit, et honorifice sepultus ibidem requiescit.

Nec Bavarica Historia, *quae anno* 1662 *in lucem prodiit, de nostro Bavaro silet, quin immo haec de illo narrat.*

» Sed ne e solis Monasteriorum plantariis pietatis flores, fructusque
» ferreo hoc anno prodiisse sero posteritas crederet, Numini placuit prin-
» cipum domibus (ubi quoties virtus est, toties rara est, et excellens)
» inserere sanctitatem. Ut alia taceam exempla: hac tempestate duo pro-
» micuerunt, in Henrico nempe Duce Bavariae, et Conrádo ipsius fi-
» lio. Hic parenti facem praeluxit, nec defuere viro optimo laudatores.
» Post adolescentiam in litterarum lyceo Coloniae peractam, cum san-
» guine nobilissimo morum excellentia, eruditionis claritudo, collecta-
» que fama sacros et profanos honores ostentarent, rebus omnibus, quas
» avide pensant mortales, ante habuit Christi amorem, et caelestibus
» opibus divitem, inopiam. Eminebat tum ordinis Cisterciensis paucos
» ante annos nata religio. Inter haec initia D. Bernardus in Claravallensi
» Ascetorio multorum accendebat animos ad humeros suavi Christi iugo
» submittendos. Conradus, quem rerum humanarum fastidium ceperat,
» ad eum clam aufugit, et ex ipsius ore melleo hausit spiritum, quo
» ad visenda Christi nascentis incunabula, et morientis theatrum accen-
» sus, cum bona eiusdem venia Palestinam adiit: qua peragrata,
» captus amore solitudinis, recepit se in montis secessum cum uno
» dumtaxat socio, quem sui propositi conscius est sequutus, futu-
» rus eo Caelitibus propior, quo remotior ab oculis mortalium.

» Isthic cum Caelo maturus esset, revisendi Bernardi desiderio e ter-
» ra sancta solvens, aegro iam corpore delatus in Apuliam, Barii, u-
» bi D. Nicolai corpus celebri hominum concursu, et veneratione co-
» litur, vitae innocenter actae finem imposuit = Henricus pater filii e-
» xemplo monacum induit, incertum quo anno etc.

Clarissimus quoque P. Matthaeus Raderus Societatis Iesu in Opere, cui titulus Bavaria Sancta *de nostro Beato, quae sequuntur, scripsit.*

» Conradus ex nobilissima et antiquissima Guelphorum stirpe pro-
» fectus patrem habuit Henricum, qui Guelphonis Ducis Bavariae co-
» gnomento Quarti filius fuit: fratres Henricum, et Guelphonem, so-
» rores Iudictam, Vulfildam, Matildam et Sophiam. Conradus pri-
» mum literarum tirocinium domi posuit, et cum iam ex Ephebis
» excessisset, Coloniam Agrippinam ad maiorem ingenii cultum capien-
» dum profectus, in Friderici pontificis, Viri splendore generis (Tetrar-
» cha enim Foroiuliensis erat) et eruditionis laude, morumque elegantia
» clarissimi, disciplinam concessit. Cumque ob doctrinae profectum, et
» inclytam maiorum familiam maximos sperare honores posset, caelestia,
» et aeterna animo vere regio complexus, omnia fugientium bonorum,
» et honorum nomina, fumosque et umbras contempsit, seseque ad
» Claram Vallem, ubi id loci Divus quoque Bernardus sacrae militiae
» rudimentum apud Cistercium inceperat, contulit. Hic Conradus hausta
» Religione, cum ex diutina meditatione miris visendi Christi incuna-
» bula, et theatrum immortalium operum incensus desideriis arderet, Ie-
» rosolymam supplicabundus petiit et omnia a Christo divinitatis et
» humanitatis impressa, quae reliquit in terris vestigia, exosculatus,
» inde se in solitudinem contulit, ubi provectioris nactus aetatis A-
» scetam, caepit illi velut administer, et discipulus infimis officiis
» inservire, necessaria subministrare, vicissimque Christianae professio-
» nis praecepta ab illo haurire, sed valetudine tentatus, instituit de re-

» ditu ad patrium solum cogitare, sed tamen fatis praereptus attingere » non potuit. Barium Apuliae Municipium navi delatus, apud Sanctum » Nicolaum religiosissime expiravit. Sunt qui Patarae defunctum velint, » quod D. Nicolaus Patarae colatur; et non Barii, sed Patarae scribendum » dum putent. Atqui de Bario Apuliae Oppido constat, et fortasse ibi- » dem arae eidem Divo positae. Nam qua in provincia Divus sua tem- » pla non habet? In Boica complures numerat aedes, et Coenobia; et hic Mo- » nachii ex vetustissimo sacello in recentem, et augustiorem aedem non ita » pridem idem Nicolaus immigravit. Uspergensis facit rem ambiguam » et mihi de Patara non cogitasse omnino videtur. Subscribam etiam fir- » mandae nostrae rei quae ipse de Conrado in suis chronicis posuit.

Hactenus potiora quae diligentissimus P. Damianus de nostro Bavaro testimonia congessit; et quidem quam maxima fide dignissima. Non vero hic noster Bollandianis sociis ignotus fuit omnino, quippe inter *praetermissos* ad diem XVII Martii adnumerarunt » Conradum Mona- » chum Clarevallensem Filium Henrici Bavarie Ducis. Chrysostomus » Enriquez recte distinxit ab altero eiusdem nominis, et ordinis Villa- » riensi Abate, cum quo confunditur a Wione aliisque, propterea quod » hic sit in Claravalle sepultus, ille Barii rediens Hierosolymis pere- » grinus obierit. Uterque distinguendus ab iis, qui Ecclesia indulgente » Beati vocantur, quod auctores isti, eosque secutus Bucellinus non » faciunt = scilicet Bucellinus non ex eo reprehenditur quod Conradum nostrum cum aliis eiusdem nominis confuderit, sed quod Beati titulum illi adpinxerit. Alia quae de Patrono nostro ipsimet Bollandiani scripserunt, inferius erit commodior examinandi locus.

Doctissimus quoque Muratorius in *Italiae Annalibus* ad annum MCXXVI haec scripsit = Hoc anno, vel etiam praecedenti ab humanis decessit Henricus Niger Dux Bavariae; qui in monasterium Wingarten- » se secesserat, suae ditionis terras relinquens Henrico IV et Guelpho- » ni I ex se natis = deinde addit = Filii ex eo quoque (scilicet Ni- » gro) fuerunt Conradus qui mundo contempto in sanctitatis odore,

» postea obiit, et Iuditha, quae Frederici Aenobardi Imperatoris mater fuit = Vides prudens lector et Bollandianos, et Muratorium sanctitatis famam opinionemque Patrono nostro tribuisse, quamvis illi non Beati titulo ab Ecclesia ornatum, dicant. Vides etiam gravissimos scriptores istos Bavarum ab aliis eiusdem nominis distinxisse, ita ut qui confundant in meridie caecutire prorsus sint dicendi.

Enimvero in nostro Conrado illud evenit, ut cum aliis eiusdem nominis, eiusdemque Religiosi Ordinis et similis sanctitatis viris a quibusdam scriptoribus confusus fuerit. Sciunt Eruditi omnes, pluries accidisse, ut vel unus Sanctus in duos medii et infimi aevi maxime temporibus scinderetur, vel contra ex duobus, vel tribus unus veluti conflaretur. Plura facile nobis esset exempla congerere, sed haud vacat. Semel tantum in Romano Martyrologio Conradi nomen adparet, illius nempe qui Constantiensis Episcopus, et miraculis clarus ex hac vita anno DCLXXVI migrasse refertur. Cum vero nostrum circa annum MCXXV, vel etiam tardius, suum clausisse extremum diem pro comperto habeatur, omnino fatuum esset hunc ad Constantiensem trahere.

Nec minor, sed fortasse excusatione dignus, eorum fuit error qui unum eundemque Beatum nostrum fuisse existimarunt ac *Conradum*, *Seynensem* dictum Comitis Seynensis de Hurach filium, S. Romanae Ecclesiae Cardinalem, et Episcopum Portuensem sanctitatis etiam opinione clarissimum. Errorem huiusmodi bene primus advertit clarissimus Ughellius, quem deinde secuti sunt Damianus et Bollandiani. Ughellius quippe in Italia sacra de Portuensibus Episcopis agens, reprehendit inter ceteros Arnoldum Wion, quod lib. I. *Ligni Vitae* Seynensem Cardinalem, et Portuensem Episcopum confuderit = cum alio Conrado (sic » Ughellius) filio Henrici Bavariae Ducis, quibus omnibus (Wioni sci» licet, et aliis eum secutis), idem nomen, par Institutum Cisterciense, » dignitas non diversa (1), reditus ex Oriente persimilis facile imponere

(1) Quae vero *par dignitas*... non Episcopus, non Cardinalis hic noster. Sed fortasse de utriusque praeclara stirpe Ughellius haec scribens, cogitavit.

» potuit, ut annos interverterent, et pro Conrado, quem supra com» memoravimus, Bavarum illum Conradum reponerent, siquidem et » hic Cisterciensis erat et de Claravalle monastica scientia excultus pro» dierat. De hoc Conrado honorifice mentionem facit Canisius Tom. II. » Antiq. Lect. = Hucusque Ughellius. Ea porro, quae dicitur Bavari nostri a Canisio facta mentio ea est Altorfensis Monachi, quam supra retulimus. Sed quae ad *Seynensem* maxime spectant ad imam amandamus paginam, et ad alia quae fortasse graviora videri possint, gradum faciamus (1).

Gravior certe eorum fuit error qui Conradum Bavarum unum eundemque fuisse, ac S. Conradum Placentinum, sive Netinum (nam Placentiae natus, Neti obiit) adfirmarunt. Ex nobili hic *Confaloneria* Gente ortus, et Tertio S. Francisci Ordini adscriptus in Siciliam perrexit,

---

(1) *Seynensis Conradus* a Summo Pontifice missus in Palaestinam Legatus, ibi virtutibus meritisque onustus obiit. Ex eius vero praecepto corpus Claravallem translatum, ibique conditum fuit hac praesertim sculpta Epigraphe.

HIC IACET DOMINVS CONRADVS
QVI PRIMO VILLARIENSIS DEINDE CLAREVALLENSIS
POSTEA CISTERCIENSIS EXSTITIT ABBAS
ET DEMVM PORTVENSIS EPISCOPVS CARDINALIS
HIC CVM IN TRANSMARINIS PARTIBVS MORARETVR
INSTANTISSIME PRÆCEPIT VT CLARAVALLEM
VBI IAMDVDVM SVAM ELEGERAT SEPVLTVRAM
OSSA SVA DEFERRENTVR ET IBIDEM SEPELIRENTVR
OBIIT AVTEM ANNO DOMINI
MCCXXVII
PRIDIE KALENDAS OCTOBRIS.

et aliquando prope Netum vitam ducens Eremiticam, ibi suum extremum clausit diem. Quid vero Italus homo cum nostro Germano? Quid Franciscanus cum Cisterciensi? Quid Sicilia cum Palaestina? Attamen Rochus Pirrus (*Sicilia Sacra*) necnon et Canonicus Campus (*Vita B. Conradi*) ut rem ab ipsis pene compertam dederunt S. Conradum qui *Neti* colitur, coli etiam Melphicti. Nec id tantum, sed et fabulam de furto capitis Netini Sancti a Melphictensibus patrato effinxerunt. Postquam enim Pirrus de ortu, deque obitu Netini Patroni, deque eius cultu a Leone X primum concesso, tum a Paulo III ac demum ab Urbano VIII confirmato latius disseruisset, haec deinde addit = *In Apulia etiam, urbe Melphicta magnifice colitur, tutelaris et protectoris nomine; neque frustra hoc titulo gaudet, dum semel Civitatem mirabiliter ab hostium Gallorum irruptione super muros apparens liberavit, et saepe aquae penuria laborantibus copiosam pluviam emisit. Illuc furto ablatum sacrum caput magna in veneratione habetur.* = Haec Pirrus secutus Campum, cui certe quamvis clari nominis scriptori non historicae veritati, sed ingenio suo velificari studium fuit (1). Mirari vero subit Bollandianos sagaces certe et doctissimos viros non fabellam subodoratos, quamvis non ita Pirri auctoritatem admiserint ut de narrationis veritate haud omnino dubitaverint. Postquam enim illius verba, quae retulimus, recitassent, haec addiderunt = *Eadem alii tradunt scriptores, sed sunt qui non hunc Netinum Conradum coli illic* (Melphicti) *scribunt, sed alium natione Gallum, qui eodem tractu vitam Anachoreticam egerit. Nos nulla adhuc Melphictana monumenta vidimus, unde certi quiddam statuere valeamus* = Nobis olim legere datum exemplum a Melphicti Syndicis

(1) Legenda omnino quae de fide rebus in historicis praeclari alioquin viri Placentini Vitae S. Conradi scriptoris doctissimus Sollerius in Actis Ss. ad diem IV Iulii occasione S. Antonini scripsit. Nauseam sibi fecisse adfirmare haud dubitavit. Tam facile est hominibus etiam doctrina clarissimis Patriae amore abripi!

ad doctissimum Papebrochium latino elegantique sermone Epistolae hac de re scriptae, sed fortasse post ea, quae supra attulimus, edita, Papebrochius epistolam illam accepit. Quamvis vero Damianus fabulam, et calumniam a Siculo, et Placentino scriptoribus effictam copiose confutaverit, iuvabit tamen rem plenius, accuratiusque a nobis tractari, maxime cum alia nobis monumenta suppetant, quae noscere Damiano haud licuit.

Certum est Netinum Conradum ex hac mortali vita anno MCCC LI decessisse, et cultum eiusdem Sancti a Leone X, qui saeculo *XVI* ineunte in Pontificia sedit Cathedra permissum fuisse. In Praefatione vero Generali satis abunde probatum fuit Missalem Ordinem Membranaceum manuscriptum Melphictensis Ecclesiae circa medietatem saeculi XIV exaratum fuisse. At porro in hoc Missali Missa habetur propria Conradi nostri cum introitu *Gaudeamus omnes* et cum tribus propriis Orationibus, ut iam praemonuimus; et in Kalendario ad diem IX Februarii adscribitur characteribus minio illitis = *Translatio S. Conradi* = Et quidem ante S. Sabinum, cuius tunc quam maxime his in regionibus celeberrimum erat nomen et Festum. Qua ex re illud consequi videtur quo anno et Missale, et Kalendarium scripta, vel nondum S. Netinum obiisse, vel vix vita functum. Quis vero credat, statim ac Netinus defunctus cultum eius e Sicilia in Apuliam navigasse, et Melphicti tam sollemniter celebratum. Illud etiam accedit, nullo modo verosimile esse tunc, cum Missale scriptum, Conradi cultum Melphicti initium habuisse; quin potius antiquior existimari debet, ex quo illud conficeretur S. Netini nondum nati et certe non defuncti nomen in Apulia celeberrimum fuisse.

Illud etiam, quod mirifice confirmabit alterum, atque alterum Netinum, et Bavarum fuisse, et hunc non certe ex ordine Minorum, argumentum educi poterit ex insigni antiquo *Tabernaculo* seu *Turri* vel *Monstrantia*, vel denique *Ostensorio*, ut aiunt, ad publice SS. Eucharistiam exponendam, vel etiam circumferendam, quod a maiorum, ut ita dicamus, hereditate Melphicti asservatur. Illius descriptionem non lectoribus fortasse ingratam, quo luculentiori poterit, modo exhibere iu-

vabit, ut quae ad rem de qua agimus argumenta educere liceat. Turris campanariae stylo superpositae formam ostensorium nostrum habet, scitumque est vel e S. Gregorii Turonensis temporibus Turris formam SS. Corporis Christi repositorium habuisse. Basis est satis ampla ex aere deaurato, in qua per gyrum anaglyptico opere sex sunt sculptae imagines Sanctorum nimbum super capita habentium adscriptisque eorum nominibus. Ex parte antica imago primi hanc habet inscriptionem *S. Macteo* (sic) ex postica vero altera cum hac *S. Conrado*; hinc inde dextrorsum imagines Sanctorum *Petri*, et *Lucae*, eodemque modo sinistrorsum Ss. *Marci*, et *Ioanne* (sic). E basi assurgit columella hexagona et ex argento (quo reliquum totum est conflatum opus) et in eius medio veluti nodo quodam circulari, adfixa aedicula est etiam hexagona et fornice tecta, exterius vero circa illam sex argenteae sunt statuae Sanctorum, qui quamvis nullum habeant adscriptum nomen, ab eorum veste tamen ceterisque indiciis, facile erit coniicere, quos repraesentare voluerit Artifex. Omnes Tunica Franciscanorum, ut est hodie eorum, quos Observantes vocant, induti sunt, omnesque nimbo ornantur in capite. Omnes aeque palmam in manibus habent, uno excepto, qui lilium manu dextera tenet. Eorum, duo qui palmam manibus gestant serram habent in capite, alter videtur tribus sagittis confossus, alter ensem monstrat guttur ferientem, postremus denique duos habet globulares lapides supra caput. Facili hinc negotio eruitur S. Antonium Patavinum repraesentari, et quinque Franciscanos Martyres, qui apud Marochium illustre martyrium fecerunt. Turris denique ipsi columellae adfixa insidet, et quidem etiam hexagona, lateribus eius duobus antice, et postice latioribus. Tribus constat contignationum ordinibus. Inferior templi testudinati formam exhibet, arcuatis fenestris circum apertis et pellucido vitro tectis. Hic sacra reponebatur Hostia. Altera, quae supra primam exsurgit contignatio minoris quidem amplitudinis, sed eiusdem fere formae, fenestrata est etiam, intus imagines habet Iesu Christi Crucifixi, necnon et B. Mariae Virginis, et S. Ioannis. In superiori denique altera etiam minus ampla,

quae non fornice tecta sed arcu ornata; subtus vero arcum Domini nostri Iesu Christi statua eminet ad pedes sacrum calicem habentis. Ad latera hinc inde inferioris contignationis duo adstant Angeli, quorum alter S. Crucem manu gestat, alter manu tangit Columnam. Totum opus satis affabre elaboratum est, et ad angulos omnes piramidibus plurimis, aliis longioribus, aliis brevioribus ornatum. Nunc in huius monumenti aetatem paulo diligentius inquirendum.

Aeternae memoriae Vigiliensis Episcopus Pompeius Sarnellius, cui ex delegatione Melphictensis Episcopi *De Effectibus* Ecclesiam nostram visitanti monumentum hoc fuit exhibitum, in hanc descendit sententiam, elaboratum illud fuisse temporibus F. Paulli ex Minorum Ordine, qui Episcopalem Cathedram Melphicti in fine saeculi XIII tenuit, idque ex eo probabat, quod Franciscani Martyres non nisi a Franciscano Episcopo induci poterant, et quod Architectonicae artis modus, quo constructa Turris, Andegavensium tempora indigitare videretur. Non inficiabimur plura forsan contra eruditissimi Episcopi sententiam obiici posse, et illud in primis quod qui Marochii passi sunt Martyres quinque, non Sanctorum Canoni adscripti, nisi a Xisto IV anno MCCCCXLI, cumque hi nimbo quod sanctitatis indicium est, circa caput ornati appareant, merito deducendum videatur post annum praedictum Turrem nostram fuisse conflatam. Sed an Bavarus noster ab Apostolica Sede Beatus appellatus? Attamen nimbum quoque habet, eodemque penitus modo, quo Sancti Apostoli, et Evangelistae. Eo magis igitur Sarnellii sententia confirmabitur. Revera enim non nisi a Franciscano Episcopo Ecclesiam nostram regente permitti poterat ut Martyribus illis nondum ab Ecclesia receptis velut Sanctis honor deferretur, et forte etiam cultus. Illud etiam venit diluendum, quod scilicet magni nominis Viri Thiersius (1) et Grancolasius (2) observarunt multo post saeculum XIII mo-

(1) De SS. Eucharistiae expositione etc.

(2) Comment. in Brev. Rom. lib. 2.

rem Sacram Eucharistiam in Monstrantiis translucidis circumferendi introductum fuisse. Martenius vero (1) et ex eo Catalanus (2) evidentibus adductis monumentis satis abunde probaverunt, exeunte XIII saeculo, etsi non ubique, pluribus saltem in Ecclesiis Monstrantiarum cum vitris pellucidis, ita ut Ss. Christi corpus aspici posset, consuetudinem fuisse inductam. Ceterum cum multarum librarum pondus Turris nostra habeat et ad altitudinem trium palmorum cum dimidio surgat, facile erit arguere non ad circumferendam Eucharistiam, sed ad hanc fidelibus super altare exhibendam elaboratam illam fuisse. Quamvis vero doctissimi Episcopi ad aetatem Paulli nostri ac proinde ad saeculi XIII finem Tabernaculum nostrum trahentis sententia, non satis certa videri possit; nullo modo eius antiquitas, et plurium certe saeculorum convelli poterit. In hoc vero quantivis pretii monumento *S. Conradus* nec inter Franciscanos, ex quibus Netinus fuit, locum habet, sed inter Apostolos, et Evangelistas, nec Franciscana veste ut alii indutus, sed talari tantum et pallio etiam tecta, et baculo ad summitatem Furcillato; quae res Campi et Pirri inventum omnino subvertit.

Nunc ad furti actionem, quae a Netinis contra Melphictenses inlatam diluendam accedamus. Et primo quidem quae a Campo narratur historia nullis innititur testimoniis, et fabulam putidissimam omnino redolet. Ait enim reum furti Capitis Netini Sancti mancipium quoddam fuisse, et ab eo Dinastae cuidam Melphicti caput dono allatum, et ab hoc denique Melphictensibus concessum. Anne tam vero vecordes Netini Cives fuissent, tamque negligentes sancti corporis custodes, ut vili ab homuncione, eius caput, quem magna cum veneratione colebant, et quem apud Deum elegerant Patronum, auferri sinerent? Sed intimius res est

(1) De Sacris Ecclesiae ritibus.
(2) In Rituale Rom. Tom. 2. Tit. IX §. V.

examinanda, et an de *corpore* furti, ut aiunt, vere constet, inspiciendum. Anno MDXV ex Apostolica Leonis X delegatione S. Conradi Netini corpus recognitum fuit a Iacobo Humana Scodrensi Episcopo Siracusani Episcopi Vicario; eiusque recognitionis Acta a Bollandianis recitantur. Hanc, quae ad rem facit, damus particulam = *Vidimus, et manibus nostris contrectavimus caput et brachium unum dumtaxat a corpore separatum (quod quidem brachium theca argentea coopertum in eius honorem populo ostendi religiose solet) reliquum vero corporis cum ceteris membris ad invicem adhaerentibus et adnexis carne vestitum* = Non igitur caput abesse omnino dictum, ut Pyrro placuit, sed cum reliquum corpus membris ad invicem adhaerentibus, et adnexis inventum fuisset, non ita tamen caput, sed hoc a corpore separatum et ab Episcopo *oculis visum manibus contrectatum.* Mirandum vero est Bollandianos doctissimos socios id non advertisse, cum Par. 4 num. 29. scripserint = *Ex confectis a Iacobo Episcopo Scutarensi actis relatum est, cum is arcam in qua reconditum B. corpus erat anno* 1515 *aperuit, deprehendisse ab eo caput et brachium abesse. Hoc nempe seorsim argenteae thecae inclusum antea erat. Caput vero Molfectae in Apulia servari dicitur hermae argenteae impositum. Ita Pirrus* = Somniavit hic quidem, quin et turpiter erravit. Separatum enim a corpore caput *erat*, non vero omnino *aberat.* Quae cum ita sint, supervacaneum putamus hic referre scriptum anno MDCLXIX. Iuratorum Netinae Civitatis Testimonium, quod apud Damianum legitur, *integrum* S. Conradi corpus Neti adservari adfirmantium.

Non ita tamen patriae, et maiorum nostrorum amore abducimur, ut non veritati litare omnino nitamur. Hoc igitur praestabimus, ut unde furti fabula fortasse manarit, candide aperiamus. Liceat igitur hic referre, quae in Actis Visitationis Melphictensis Ecclesiae anno MDCII ab illustris memoriae Episcopo Ioanne Antonio Bovio peractae leguntur =
» Circa reliquias (in Ecclesia scilicet cathedrali servatas et Episcopo
» exhibitas) interrogavit dicti Capituli, et Cleri, videlicet Revendis-

» simos Dominos Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium de » Filiolis, D. Iacobum de Colamia, et D. Ioannem de Pinto, » quam certitudinem haberent de reliquiis, quae in hac ecclesia » servantur, et praecipue de Capite S. Conradi Confessoris, et in quo » tempore caeptum fuerit celebrari eius festum, et quo die celebretur. » Qui omnes, delato eis per R.^m iuramento, responderunt unanimiter, » ab immemorabili tempore, cuius nec ipsi noverant initium, neque a » suis maioribus audierunt huiusmodi initium cognitum fuisse, semper » dictum caput B. Conradi fuisse creditum, habitum, et honoratum tam- » quam verum, et certum caput dicti B. Conradi, et ita eos audivisse sem- » per narrari, et dici a suis maioribus, neque unquam dubitatum fuisse de » eo, et similiter ab immemorabili tempore, ut supra dictum est, semper » fuisse celebratum eius festum, et officium sub die nona mensis Februa- » rii, et fuit exhibitus liber missalis manuscriptus in pergamena, satis an- » tiquus supra annos plusquam centum, ut apparebat, in quo erant de- » scriptae tres orationes de proprio pro missa dicti Sancti. Et addidit D.^nus » Archipresb.^r audivisse se a quodam peregrino siculo, qui se assere- » bat esse ex religione dicti S. Conradi, quod festum dicti S. Conradi » in Urbe Noto Regni Siciliae celebratur, sed sub die decimanona Men- » sis Februarii. Proposuit bonum esse inquirere de eiusmodi veritate, ne » forte erratum sit in die huius festi, ad hoc, ut possit festum hoc transfer- » ri in diem decimumnonum Februarii, si certe hunc constet tali die ex » humanis decessisse, et ad caeli gloriam translatum esse. Dixit etiam » idem D.^nus Archipresbyter, et alii etiam ex Canonicis eumdem pere- » grinum retulisse corpus S. Conradi sine capite asservari in magna ve- » neratione in praefata Civitate Noto, et dictum peregrinum attulisse » imaginem dicti Sancti, et eius vitam latino sermone scriptam = Vides prudens lector peregrinum ignotum hominem Melphictensibus imposuisse, ne fortasse integrum Beati nostri corpus se habere existimarent, et imposuisse etiam Netinis, ut corpus proprii Patroni sine capite apud eos esse crederent. Nec difficile id fuit; pergratum namque utrius-

que fuit, et Melphictensibus, quod sui Patroni, cuius historiam pro illorum temporum infelicitate haud plene notam habebant, longe lateque famam diffusam cernerent; Netinis eadem ex caussa et quod a Netino in ipsos collatis beneficiis, illa etiam in Melphictenses collata a Bavaro adderent. Ita fit, ut zelus sine scientia quandoque veritati noceat, et animi affectiones, quaecumque illae sint, praeclaros etiam et probos homines caecutire faciant.

Non illa quoque praetereunda disquisitio est, an vere integrum Bavari corpus Melphicti fuerit, et adhuc exstat, nam de capite nullus erit ambigendi locus. Qua in disquisitione veritati tantum faventes monumenta hinc inde dabimus, ut quid multa in obscuritate verum lateat a semetipso lector coniicere possit. Nulla quidem in Episcopi Bovii visitatione supra memorata, corporis mentio habetur, quin potius ex ea consequi videtur nullo modo corpus exstitisse. Si enim exstitisset, certe visitanti Episcopo exhibitum fuisset, nec tam facile maioribus nostris fucus a peregrino homine factus esset, ut corpus, cuius habebant caput, Neti in Sicilia asservari crederent. Nec in secunda ab ipso Bovio visitatione anno MDCXIII peracta de corpore verbum ullum; id tantum proposuisse Episcopus dicitur ut *venerandum caput* statua argentea includeretur, *qua ei debitus honor servaretur*, utque ad hoc *Universitatis Civium adiumentum imploraretur.* Cum vero Civitatis Syndici ad opus conficiendum parati veniam a Collaterali Consilio peterent ad pecuniam erogandam in supplici libello aperte fassi sunt Melphicti Caput tantum S. Tutelaris servari, se vero ubi reliquum esset corpus nescire (1). Supplicem hunc libellum cum Decreto Collaterii Consilii precibus annuentis autographum nos, cum Vicarii Generalis S. memoriae Episcopi Ianuarii Antonucii munere fungeremur, et in manibus habuimus et legimus.

Nunc ad ea, quae alia omnia forte suadebunt, integrum scilicet

---

(1) Non utique *Neti.* Cito igitur peregrini hominis fabula evanuit.

B. Conradi corpus a Melphictensibus possideri, gradum faciamus. Episcopus idem Bovius in prooemio eius, quam scripsit, historiae Ecclesiae S. Mariae de Martyribus prope Melphictum (de qua alias plura) manifeste memorat *venerabilem reliquiam integri corporis S. Conradi pluribus ab inde saeculis Melphicti Patroni et Protectoris.* Contra vero hoc Bovii testimonium illud obiici poterit, quod cum haec Historia anno MDCXXXV Neapoli prodierit, scilicet post mortem Episcopi annis tredecim, facile quis suspicari poterit ab Editore Historiam fuisse interpolatam, maxime quod dictio illa *integri corporis* affectationem quamdam sapiat. Bovio in Episcopatu successit F. Hyacinthus Petronius ex Praedicatorum Familia, eiusque auspiciis, et nomini dicata historia illa in lucem prodiit. An vero putabimus huiusmodi historiae editorem coram Episcopo et palam mentitum fuisse tunc cum integrum civitatis Patroni corpus a Melphictensibus possideri adfirmavit? An vero potius dicendum corporis in hypogaeo, quod tunc erat, Cathedralis Ecclesiae ex ignorantia memoriam fuisse obliteratam, et ibi postea corpus quaesitum, et inventum? Certo enim certius est ignorantiae tenebras in quibus Melphictensis iacebat Ecclesia, doctissimum Bovium primum expulisse. E vivis Petronio sublato (1) ad Melphictensem Episcopatum venit Ioannes Thomas Pinellius ex Theatinorum praeclara familia, cathedramque tenuit usque ad annum MDCLXVI. Eo vero ad Albigaunensem Ecclesiam translato, Melphictensis Episcopus fuit renunciatus Franciscus de Marinis. De hoc Episcopo in additionibus ad Ughellium illud memoratur, *recognovisse* scilicet *in sua Cathedrali Corpus S. Conradi*, *deque eius veneratione posteris publicis tabulis monuisse.* Nullus erit dubitandi locus narrationem istam ex iis excerptam actis, quae apud Damianum leguntur. Ex his enim habetur, Cathedralem Ecclesiam visitanti episco-

---

(1) Lucentius in additionibus ad Ughellium non sine veneni suspicione mortuum Petronium narrat. Quo vero fundamento nixus id dixerit, prorsus ignorare fatemur.

scopo *capsulam quamdam a quodam camerino quod positum erat subter altare maius Cathedralis exhibitam fuisse, illamque* (ossa Beati Conradi continentem) *signatam fuisse inventam sigillis Episcopi Pinelli.* Dolet quod qui acta visitationis Episcopi de Marinis dictavit, omiserit referre recognitionem Corporis a Pinellio factam cum appositione illius insignium, vel saltem illam indicare. Dolet quoque quam maxime, quod in Episcopalis Curiae Tabulario exstet tantum Synodus a Pinellio habita, et contra omnino desint acta Visitationum et Pinellii, et de Marinis.

Ex hactenus dictis facile quis (neque hoc silentio premendum) Melphictensium erga Patronum suum pietatis, religiosique studii vicissitudines coniicere poterit. Et primis sane a reliquiarum eius translatione temporibus quam fervidissimum fuisse, vel ex eo ostendi licebit, quod in Kalendario I. Melphictensi citra medietatem saeculi *XIV.* scripto S. Conradi nomen litteris minio illitis legatur, et in Missali Ordine peculiaris officium missae describatur. XIV vero saeculo, et hoc exeunte tepescere caeperunt animi, ita ut quasi eius oblivio inducta sit. Eius rei argumentum erit quod in Kalendario Melphictensi II nulla Beati Conradi habeatur mentio, nulla in Breviarii, cui kalendarium praefixum, lectionibus. Eius nomen in litaniis tantum apparet, ut in Praefatione Generali mónuimus. Cum igitúr Bavari nostri in Melphictensium animis fere obliterata esset, nemo mirabitur in eorum animis peregrini siculi narrationem locum aliquem invenisse. At vero a Bovii aetate factum, ut Melphictenses novo pietatis studio erga B. Conradum accenderentur, et exinde eius corpus, quod fortasse absconditum latebat, fuerit inventum. Nec enim infimi aevi saeculis raro eveniebat, ut Sanctorum corpora, ne alienorum furto, et etiam rapinae, ut assolebat, exposita essent, profundo ignotoque loco absconderentur. Sed e diverticulo in viam.

Ex Hierosolymitana peregrinatione, quae superius adducta sunt testimonia, secutus Damianus reducem, fracta tamen valetudine, Barium appulisse, nec iter in Galliam prosequi valentem in Crypta quadam Meduniensi in agro prope Barium se se abdidisse, ibique demum obiisse,

et inde eius exuvias Melphictum translatas, narrat. Qua in re Scriptor diligentissimus non Melphictensium tantummodo, sed et Meduniensium traditionem amplexus est. Exstat nempe, quam diximus, Crypta (eamque et olim nos visitavimus) Deo deinde dicata Ecclesia nomine S. Mariae Gratiarum, et Abbatiae titulo ornata, et reditibus etiam aucta. Ibi B. Virum sanctae vitae postremos vixisse dies, ibique beatam animam Deo tradidisse suis a maioribus traditum Medunienses quoque ipsi adfirmant. Quin et illud hi addunt, tunc, cum a Melphictensibus B. corpus transferebatur, piam quamdam Meduniensem feminam digitum eius clam surripuisse, et hunc inter insignes eius reliquias adhuc servari, ut datis ad nos litteris ab egregio viro Dominico Trentadue eius Ecclesiae Archipresbytero accepimus.

Nōn diffitebimur equidem variantibus e lectionibus, de quibus supra, posse aliquem dubitare, utrum Barium, ubi S. Nicolai corpus requiescit, vere B. noster appulerit, an potius Pataram, natalem scilicet Sancti locum, et illinc Melphictensibus a Navigatoribus (qui certe tunc temporis Graeciae litora commercii caussa frequentabant), eius transvectas reliquias, Bariensium ipsorum, et Amalphitanorum exemplo, qui e Graecia Ss. Nicolai, et Andreae corpora transvexerunt. Cum vero nulla prorsus tuta monumenta exstent, quae hoc ultimum factum testentur, sapientius prudentiusque erit traditionem maiorum sequi, quam nudis inniti coniecturis. Quidquid vero hac de re sit, illud certum, exploratumque erit, Beatum nostrum non Netinum, seu Placentinum esse, qui tardius multo floruit, sed Bavarum ex Guelpho-Athestiorum nobilissima ortum gente, et huius sive caput, sive etiam integrum corpus non sane e Sicilia advectum; necnon et hunc peculiari sollemnique ritu vel a XII aut saltem XIII saeculo Melphicti cultum fuisse. Caput diximus, vel integrum corpus ad cavillationes tollendas. Ceterum ea nostro sedet animo sententia, integras Bavari Melphictum translatas fuisse, et nunc etiam servari reliquias. Neque enim satis intelligi poterit, eiusdem *Translationem* ut in nostro, quod exhibuimus Kalend. I. legitur, nullo adiecto, celebra-

tam Melphicti fuisse, si caput solummodo invectum fuisset. Istud quoque mirifice nostram, de qua supra, coniecturam confirmabit, scilicet in Cathedralis Ecclesiae Hypogaeo B, corpus primo absconditum, ne pio, ut dicebant, furto, quod ea aetate non infrequens erat, surriperetur, denique occasione visitationis Episcopi Bovii quaesitum, et inventum. Quod nisi urbs nostra dirissimam a Gallorum exercitu anno MDXXVII, direptionem passa fuisset (1), plura forsan monumenta, ad rem melius, certiusque statuendam, superfuissent. Atque haec quae de Patrono nostro praestantissimo scripsimus, salva, quae Apostolicis Constitutionibus et S. Sedis mandatis debetur, reverentia, scripta sint.

(1) Huius direptionis historiam descripsit Iosephus Marinellius eamque e Cavensis Monasterii Tabulario vulgavit Cl. Alexius Aurelius Pelliccia = Croniche del Regno di Napoli, Tom IV.

AD DIEM VIII ID. MAIAS.

DE APPARITIONE

S. MICHAELIS ARCHANGELI

COMMENTATIO HISTORICA.

Cum de celebri S.Archangeli Michaelis in Gargano Apuliae monte quam maxima eruditionis copia doctissimi scripserint viri, inter quos honoris caussa nominare lubet Bollandianum *Stiltingium*, *Josephum Aloysium Assemannum*, *Eminentissimum Stephanum Borgia*, quibus etiam adiungendus est Canusinae Ecclesiae Praepositus *Angelus Andreas Tortora*, temeritatis notam facile quis inurere nobis poterit, quod post tantos, tantique nominis viros, nos, qui nullo modo iis comparari possumus, ea quoque de re scribere audeamus. Cum vero in Apulia S. Archangeli Sanctuarium situm sit, cumque eius Historia cum aliarum Ecclesiarum per Apuliam ipsam historiis coniuncta reperiatur, non omnino temerarium censeri debere putamus, Appulum hominem de rebus ad Ecclesias Apuliae pertinentibus scribere. Illud vero ad scribendum potissimum impulit, quod ex nostris, quos habemus, codicibus aliqua videantur erui posse, quae lucem aliquam inter tenebras, quibus haec Historia involuta fuit, adferre possint.

Et primum quidem quae in Vulgatis Hagiologiis, ut et in insigni Kalendario Marmoreo Neapolitano, *Apparitio S. Michaelis* dicitur, in Kalendario altero vero etiam Neapolitano, quod Clarissimus Mazochius edidit, et Tutitianum appellare voluit, *Inventio S. Michaelis* scribitur, et in *Missali Plenario* apud Cl. *Dominicum Georgium* legitur, *Revelatio.* In Kalendario quoque Aquileensi saec. XIII ab Ill.mo Althano edito, ut et in uno Canusino, quod edimus, *Victoria S. Michaelis* in-

scribitur. In aliis denique et *Adventus S. Michaelis in monte Gargano, et Inventio Oratorii et Inventio Basilicae S. Michaelis*, ut vel inde et historiae certitudo simul deprehendatur et confusio (1).

Sane *Apparitionem* seu *Revelationem* S. Archangeli in Gargano monte tam longe lateque fama diffusam, eamque multorum saeculorum serie comprobatam, ac tantis testatam scriptoribus, inter apocryphas historias amandari temerarium omnino videri poterit. Hinc est, quod clarissimo, nobisque, dum viveret, amicitia coniunctissimo, Alexio Aurelio Pelliccia subscribere nullo modo valeamus, cum in *Christianae Ecclesiae Polit. Tom. II. pag.* 71. ex oscitantia forsan scripsit = *historiam apparitionis, quae vulgo legitur, fabellam, praesertim quod ad epocham sapere* = Nam cum illud *quod ad epocham* facile concedamus, non tamen apparitionem ipsam fabellam sapere adfirmare nobis licebit. Nec illud verum est, quod idem ait, nullum Kalendario Marmoreo Neapolitano IX saeculi antiquius huius rei monumentum haberi. Fortasse amicus noster auctoritatem secutus fuit Illustriss. *Sabatinii* Aquilani Episcopi, qui in suo de *Kalendario Marmoreo Neapolitano* idem scripsit, in hoc a clar. Assemanno reprehensus. Enimvero, ut dicere omittamus de S. Benedicto, qui ad S. Maurum in Galliis inter ceteras reliquias sacras, et eam quoque *de palliolo rubeo sanctae scilicet eius* (S. Michaelis) *memoriae* transmisisse fertur; in actis certe *S. Arthellaidis* ab Eminentissimo *Borgia* editis (2) refertur hanc Sanctam Mulierem circa annum *DLX* Ecclesiam S. Michaelis in Gargano Monte visitasse, ibique cuidam pecuniam petenti = *quoniam facturus esset quoddam opus*

---

(1) Plures aliae Ecclesiastica in historia S. Michaelis Archangeli Apparitiones narrantur, maxime quae antiquissima Colossis in Oriente, et ea, de qua in Graecorum Menologio habetur mentio, et quae in Galliis an. DCCIX; sed nulla hac Garganica celebrior.

(2) Memorie Storiche della Città di Benevento.

in Ecclesia S. Michaelis, quae sita est in Monte Gargano, triginta dedisse aureos. Accedunt quoque S. Barbati Beneventani Episcopi, qui septimo floruit saeculo, Acta, quae aperte de Ecclesia S. Michaelis in Gargano testantur. Fatemur equidem et libenter, in historia eius Ecclesiae confusam primam *Apparitionem S. Archangeli* et eius *Victoriam*, scilicet; ut interpretamur, primam Apparitionem, et subsequentem post adeptam S. Archangeli patrocinio a Sipontinis de hostibus Victoriam, eius Ecclesiae Dedicationem, quin et adsuta plura et addita, non ea tamen, quae omnino fidem historiae evertunt. Nobis vero illae placent regulae, quae a docto viro *P. Lazaro* Soc. Iesu (1) adsignantur, inter quas prima haec est, ut e monumentis quae vitiosa apparent, et ea quae ad rei substantiam non spectant, sed rem veluti convestiant etc. omnino detrahantur. In id itaque incumbendum videtur, ut genuina primum aliquot locorum historiae Apparitionis lectio statuatur; tum et ut vera et legitima a spuriis secernantur, demum ut adiectae laciniae prorsus abiiciantur.

Ut vero nostrae tractationi perspicuitas aliqua ex ordine saltem concilietur, primum scrupulos aliquos in quos doctissimus Assemannus impegit (2) de medio tollere studeamus. Ii sunt, quod in vulgatis Actis Apparitionis, et in *Adone* etiam ipso legatur *Sipontum in Campaniae finibus* situm fuisse, cum satis pateat in Apulia et esse, et fuisse; at quod dicatur *Garganus* mons a *Gargano* illo, contra quem retorta sagitta, nomen sumsisse, cum satis notum vel pueris sit, montem illum *Gargani* nomine iamdiu appellatum Horatio et Lucano, quin et Virgilio, Plinio, Strabone. Sed in Historia Apparitionis, quae Neapoli primum excusa, et ab Ughellio deinde relata, non *in Campaniae* finibus, sed in *Apuliae* legitur, ut etiam et in Breviario Lyciensi nostro. Quod si in *Campaniae* finibus legendum esset, fortasse nec erroris ex

(1) De Criticae regulis, quibus vera falsis admixta secerni possunt.

(2) De Reb. Neap. et Sic.

hoc aut falsitatis Actorum scriptor insimulandus esset. Sane in Itinerario Burdigala Hierusalem, et inde per nostras has regiones Mediolanum, post *Barium*, *Bytontum*, *Rubos*, *Canusium*, *Herdoniam*, *AEcas* (nunc Troia) et *Aquilonis mutationem* additur *Finis Apuliae et Campaniae*. Saeculo igitur fortasse IV, quando scriptum Itinerarium illud fuit, occidentalis Dauniae pars, ubi Sipontum situm, Campaniae nomen sortita erat. Quod si haec locutio *in finibus* Campaniae non ut *in partibus Campaniae*, sed ut *in confinio* accipiatur, merito Sipontum in Campaniae finibus situm dici poterat, cum constet Campaniam aliquamdiu usque ad Apuliae ingressum extensam fuisse, ita ut et Itinerarium quoque Antonini ad *Equum Tuticum* limitem Campaniae statuat.

Quod vero ad illud pertinet, quod apud Adonem et alios legitur = *Garganum virum praedivitem ex adventu suo monti vocabulum indidisse*, Amanuensium errori res tribuenda est. In *Legenda* enim apud Ughellium, ut et in Lyciensi Breviario legitur = *Qui ex eventu suo montis sibi vocabulum indidit*. Non itaque a Gargano homine monti nomen datum, sed a Monte, in quo signum retortae sagittae evenerat, nomen viro illi praediviti appositum. De eo vero quod paganicis superstitionibus dicantur Neapolitani addicti, quod falsum convincitur esse, inferius erit opportunior dicendi locus. Hic tantum praenotare sufficiat, Acta, ex quibus Adon suam exscripsit historiam manifeste in pluribus corrupta esse. Ita plerumque fit, ut quo celebrior facti alicuius narratio sit, ea plurium exscribatur manibus; inde errorum, et laciniarum multitudo. Sic caussa exempli quae retorta in vibrantem sagitta fuit, nullo addito in vulgatis Actis, *toxicata* dicitur in Lectionibus de Apparitione, quae habentur in *Mss.* Membranaceo Breviario = *secundum usum Ecclesiae Parisiensis et ad usum insignis Bariensis Ecclesiae S. Nicolai*, quas infra dabimus. Idem legitur in antiquo Breviario ad usum *Caelestinorum* edito. Sed ad rem accedamus, quae fortasse altius petenda erit.

Exploratum est Garganum Montem, ut ea, quae illi adiacent, loca, paganicarum superstitionum veluti centrum et Teathrum fuisse. Silvo-

sum Horatius testatur (1), ex quo suspicari licet, Lucos sacros in illo Diis fuisse dicatos. Ipsa etiam Montis figura et locus utpote ab Apenninis distracti, et in mare se protendentis (2) aliquid sacri habere, hominum mentibus visum fuit, eo vel maxime quod navigantibus per Hadriaticum mare, veluti in signum elevetur, et ex eo nautae ventorum, et tempestatum prognostica, et etiam hodie, petere soleant. Ex Strabone denique discimus *Calchantis*, et *Podalyrii* templa, et oracula quam celeberrima illic fuisse. Martinus quoque del Rio *Calliae* et *Amphiarai* illuc similiter cultum celebrem fuisse addit. Ibi animalium, quae antea mactabantur, infirmi homines pellibus tecti dormiebant, ut de medicinae genere in somniis admonerentur. Antiquissima huiusmodi fuit superstitio, et pluribus populis communis, et ad illam respexisse Isaias videtur, cum Cap. 65, v. 4. scripsit = *Ab iis qui habitant in sepulchris, et in delubris idolorum dormiunt*; ut ex Ducaeo (3) accepimus, qui S. Hieronymum adfert, quae sequuntur, scribentem = *In delubris idolorum ubi stratis pellibus bestiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent, quod in fano AEsculapii usque hodie error celebrat Ethnicorum.* En ab Hieronymo testatum habemus superstitionem Garganicae similem ad usque sua tempora perdurasse. Nec mirum videri debet ad V. saeculum, et quod excurrit, paganicas superstitiones in pagis maxime, et agris perseverasse, cum Gelasii Pp. aevo adhuc Romae Lupercalia celebrarentur, scitumque sit S. Benedictum Casino in Monte reperisse idola, et Fana, et Beneventi viperae cultum usque ad S. Barbati tempora perseverasse, de quo inferius.

Ex hactenus dictis coniicere licebit praedivitem virum illum non ex

---

(1) Lib. 2. od. 9. . . . . . Aquilonibus
Querceta Gargani laborant et lib. 2. II. Epist. I. Garganum mugire putes nemus.

(2) Appulus Adriacas exit Garganus in undas. *Lucan.*

(3) Notae in Epist II. S. Paulini Nolani.

iracundia, aut ioci caussa Taurum sagitta confodere aggressum, sed cum vidisset bestiam illam ad os speluncae veluti adhaerentem, aliquid divini illic latere existimasse, eamque transfigere et numini loci mactare decrevisse, ut deinde pelle eius indutus oracula per somnium addisceret; Dei vero misericordia factum, ut in se retortam sagittam reciperet. Voluit quippe hoc signo Deus spurcissimam superstitionem ab illa regione averruncare. Nihil etiam prohibet credere, rem ad aures Episcopi pervenisse, ipsumque ieiunium indixisse, eoque impleto S. Archangelum Episcopum monuisse, sua speluncam ipsam esse in custodia, ibique velle se coli, ut sic omnis per circuitum superstitio diabolica expelleretur, quod factum revera fuisse pro explorato habemus, ut ex iis, quae dicentur, clarius patebit.

Quo autem potissimum tempore S. apparuerit Archangelus in incerto latet. Communis sententia Breviarii Romani auctoritate suffulta apparitionem *S. Gelasii* Pontificis temporibus adsignat, quamvis in legenda apud Surium, et in manuscriptis omnibus, quae Cl. Assemannus legit (1) Gelasii nomen desideretur. Sigebertus vero in suo Chronico anno *CCCCLXXXIII.* et Gelasio Pontifice factam scripsit. Optime tamen advertit Eminentissimus *Baronius* (2) errorem certe in anno subesse, cum Gelasius anno *CCCCXCI* fuerit Pontifex renuntiatus. Ipse quoque Em. Baronius testatur antiquum codicem a se visum apparitionem ad annum *DXXXVI* transferre. Eminentissimus quoque Borgia (3) existimat circa annos a *DXX* ad *DXXX* factam temporibus scilicet Silverii vel Agapyti Pontificum. Omnibus vero perpensis auctoritatem sequentes *Mss.* Codicis a Baronio visi, anno *DXXXIV. Ioanne* Pontifice summo mirabile signum a Deo in Gargano patratum, revelationemque Sipontino Epi-

(1) De reb. Neap. et Sic. Tom. III. Cap. XIV.
(2) In notis ad Mart. Rom.
(3) Memorie Storiche di Benevento.

scopo factam adsignandam esse arbitramur. Qua re sic statuta, facile erit coniicere quo fundamento nixa fuerit et de Pontificis in Apuliam adventu, et de *S. Sabini* ad Garganum una cum aliis Episcopis itinere narratio. Notum enim est *S. Sabinum* Canusinum Episcopum una aliis cum Episcopis ab *Agapyto* Constantinopolim Legatum missum fuisse, tum et postea *Agapytum* ipsum Imperialem urbem quoque petiisse, ubi et defunctus est. Verosimile enim est S. Christi Confessorem, eiusque Episcopos socios, priusquam se itineri darent celebrem recenti revelatione Archangeli speluncam visitare voluisse; tum vel ex Siponti portu, vel ex Salapiae, aut potius ex Cannensi, qui ubi nunc Barolum iacet, situs erat, in Graeciam solvisse. An vero *Agapytus* ipse ex Apuliae portu aliquo, et fortasse quem Cannensem diximus, in Graeciam transmeavit? Has porro coniecturas in medio relinquimus a doctis viris examinandas.

Non tamen statim ac revelatio facta, de spelunca illa quasi Ecclesia consecranda, aut de Basilica illi adiungenda cogitatum, quod si cogitatum non protinus executioni mandari res poterat, unde dicere iterum non piget, ex eo quod apparitio Sancti Archangeli, et eiusdem Ecclesiae dedicatio simul conflatae fuerint totam turbatam historiam (1). Ado ipse, qui antiquis ex actis utcumque corruptis suam excerpsit narrationem, testatur = *consuetudinem fecerunt cives, hic Deum precibus sanctumque intercessorem poscere Michaelem..... sed nec ultra cryptam intrare ausi prae foribus quotidie orationi vacabant* = Similia habent vulgata Acta. Cum igitur *prae foribus Cryptae* Deum precibus *incolae* regionis ora-

(1) In omnibus antiquis Ecclesiarum monumentis, distincta *Apparitio*, seu *Inventio*, aut *Memoria* legitur a *Dedicatione Basilicae S. Michaelis*, et primo quidem die octava Maii, altera die 29 Sept. In antiquo Ecclesiae Mediolanensis Kalendario apud Mabillonium Mus. Ital. Tom. I. legitur Septembris VII Idus id est in vigilia nativitatis B. V. *Dedicatio S. Michaelis sub Domo*. Quid hoc *sub Domo*? Videant alii.

rent, non statim igitur Basilica Cryptae adiuncta, nec aliae duae, quae in actis aliquibus leguntur, sive melius una in Basilica tria altaria, et quae a Ss. Appulis Episcopis, sedente etiam Gelasio consecrata dicuntur.

Quod si non statim, non longo tamen post tempore Basilica aedificari caepta, post medietatem scilicet *VI.* saeculi; illudque nobis argumento ad sic existimandum est, quod de S. *Arthellaide* in actis eiusdem ab Eminentissimo Cardinali Borgia editis legitur, et quod supra relatum fuit. Post aedificatam Ecclesiam cogitari de illa sollemni ritu dicanda poterat, et maxime quando illustris Sipontinorum victoria S. Michaelis Archangeli intercessione parta demum fuit. Sed inter quos commissum istud fuit praelium? et quo tempore? Res enim hae incertae sunt, et multis obnoxiae difficultatibus, ita ut eas explanare oporteat. Ado quidem Neopolitas Beneventanos bello lacessisse scribit. Sed manifestus error est, et fortasse manuscripti libelli, et quo Ado suam excerpsit narrationem. Non inficiamur porro communiter legi, *Neapolitanos* simul et *Beneventanos Sipontinis* bellum indixisse. Nos vero *Beneventanos* tantum *Sipontinos* ad bellum provocasse existimamus. Nullo enim modo adquiescere Eminentissimi Cardinalis *Baronii* sententiae possumus, qui apparitionis et victoriae simul miscens historiam, emendandam ita censuit, ut potius legendum sit bellum fuisse inter *Odoacrem*, et *Theodoricum*, cui ultimo *Sipontini* favebant, ut et Epistola *Theodorici* apud *Cassiodorum* elicere sibi visum. Nec item assentiri possumus doctissimo Assemanno, uti nec eruditissimo Bollandistae *Stiltingio*, quorum alter bellum, de quo in Historia S. Michaelis, illud fuisse ait, quod anno DCXCVII Grimoaldus Beneventanorum dux contra Graecos confecit; alter vero bellum illud indicari putat, quod diuturnum a *Belisario* Graecorum duce contra Gothos gestum. Liceat nobis ea de re coniecturam nostram adferre. In Lectionibus, quae die 29 septembris in nostro Mss. Breviario, de quo in Commentario praevio, manifeste dicitur, victoriam illam *Pelagio* Pontifice a Sipontinis partam. Legitur enim Sipontinum Episcopum *Pelagium* de Ecclesia *S. Michaelis* nomine dedicanda consu-

-luisse, et Pontificem rescripsisse = *Si homo dictam ecclesiam dedicare deberet, hoc maxime die quo victoria est data, fieri oportere.* Sic ergo statuimus sedente Romae Pelagio victoriam a Sipontinis obtentam, dieque victoriae recurrente, sive Episcopali consecratione, sive sacrorum potius usu et exercitio sine ullo sollemni ritu (et rescripto enim Pontificis res in ambiguo iacet) Ecclesiam dedicatam. Non sic porro statuimus, quasi Breviarii nostri auctoritatem magni faciamus, sed certe qui illud scripsit non suo ex ingenio, sed ex antiquiori codice exscripsisse existimandus sit. Quis vero Pelagius? Huius ne nominis primus? An vero secundus? Et nobis videtur II. Sedit ille ab anno DLV ad DLIX, alter vero ab anno DLXXVIII ad DXC. Cum enim anno DLX, quo S. *Arthellais* speluncam visitavit, Ecclesia aedificabatur, profecto consequitur sub Pelagio II illam consecrari potuisse.

Bellum vero, de quo in actis, adversus Sipontinos a Beneventanis, non certe a Neapolitanis fuisse actum existimamus, illudque quoque adiungimus, a *Zotone* Beneventanorum Duce, illo scilicet, qui celebri Casinensis Monasterii depraedatione, suam manifestavit indolem ad Ecclesias diripiendas evertendasque aptam. Hinc facile patebit cur a Sipontinis Beneventani, veluti ac si pagani essent, quin et paganicis ritibus lusibusque dediti, ut in actis habetur, traducerentur; quae res si Neapolitani appingeretur magna calumnia esset. Longobardi enim, qui Beneventi dominabantur maxime ex parte revera pagani erant, et Beneventani etiam ipsi turpibus tunc temporis, usque ad S. *Barbati* aetatem, superstitionibus erant addicti, ut ex S. ipsius Actis constat. Cultus viperae sane apud eos erat celebris, tum et celeberrimi quoque ludi circa arborem quamdam, cui corium occisi animantis, caprae forsitan, adpensum erat. Cum vero Sipontini ab omni superstitionis labe et S. Archangeli apparitione purgati iam essent, Beneventanos, ut paganos habere illi merito debebant.

Id etiam confirmari posse videtur ex Epistola ipsius Pelagii II ad Auxanium Arelatensem Episcopum, ~~et quae~~ a Baronio in Annalibus ad

annum DLXXXIV recitatur. In ea enim manifeste ut *Gentiles* Longobardi traducuntur, queriturque Pontifex his maxime verbis = *Sanguis innocentium effunditur, sacra violantur altaria, et catholicae fidei ab idololatris insultatur.* Quod si clarissimus Assemannus manum medicam ad sanandam S. Archangeli historiam adponens, non tantum *Beneventanos* in *Sipontinos*, ut fecit, optime mutasset, sed et delesset quoque *Neapolitani*, et legisset (quae vera nobis videtur lectio) *Beneventani Sipontinos bello lacessere tentant*, tota doctissimorum hominum de Neapolitanorum *gentilitate* longa disputatio cessasset. Ecquis enim erit, qui non videat, haud de Neapolitanis, contra quos nullis fulciri monumentis poterit accusatio, sed de Beneventanis Longobardis paganicis ritibus revera tunc temporis adhuc addictis et *ludis scenicis falsorum auxilium Deorum invitantibus*, scilicet *circa arborem equitantibus et averso capite bestiae corium arbori adpensum mordentibus*, quod ludi genus Beneventanorum maxime in deliciis erat, ut iam dixisse reminiscimur ?

Non vero diffitebimur *Ignotum Casinensem* apud Muratorium, necnon et *Erchempertum*, qui saeculo *X* vixit, scripsisse, anno DCCCLX, Neapolitanos a Capuanis acri praelio victos fuisse VIII idus maias, eo scilicet ipso eiusdem S. Archangeli apparitionis iam tunc festo die, quo *iidem Neapolitani priscis temporibus a Beneventano populo* fuerant fugati. Videt iam lector apparitionem, et victoriam S. Archangeli intercessione obtentam male confundi, et male etiam adfirmari a Beneventanis, non vero a Sipontinis partam victoriam. Quod si ita fuisset, ut Sipontinorum nullae partes fuerint, tota prorsus everteretur historia. Ex quo illud nobis eruere liceat, Scriptorum illorum ut et *Adonis* aetate historiam turbatam fuisse, maxime quod hi, quos adhuc memoravimus, scriptores de peculiari S. Archangeli cultu tamquam Beneventanorum patroni mentionem iniiciant. Neque enim ante S. Barbati tempora ullus apud Longobardos S. Archangeli cultus fuit vel esse potuit; isque nam demum incepisse credendus est, postquam propria didicerunt experientia, quanti S. Archangeli Patrocinium esset, et praesertim tum, cum S. Episcopus

Garganicam Basilicam gubernandam simul et restaurandam suscepit (1).

---

(1) Quo magis pateat Apparitionis historiam, necnon et Sipontinorum victoriae corruptam fuisse, iuvabit hic paullo latius illam ut a S. Archangeli Historiographo, et ab Adone narratur, examinare. Et primus sic = *Inter haec Neapolitani paganicis adhuc ritibus oberrantes Sipontinos et Beneventanos qui* (Beneventani certe, nam Neapolitani longius distant) *circiter* L *millibus Siponto distant* (L pene milliaria Beneventum inter et Sipontum antiqua notant Itineraria), sed quorsum hoc, ut de hac distantia potissimum mentio fiat? Porro si Neapolitani paganicis ritibus adscripti erant, Beneventani Longobardi contra, boni certe, fidelesque Christi cultores erant. An non id toti eorum temporum historiae adversaretur? Ado de Sipontinis silet, et a Neapolitanis tantum Beneventanos lacessitos bello dixit: = *Qui antistitis sui* (equidem Beneventani, qui manifestus est error) *monitis edocti triduanum ieiunium agunt: et ecce nocte ipsa, quae belli praecedebat diem, idem in visione S. Michael apparens antistiti preces dixit eorum exauditas, spopondit victoriam . . . . domumque cito reversi vota domino gratiarum ad templum festinant referre*. Quod vero templum? Quam certissime etiam S. Michaelis in Gargano, ut ex sequentibus apparet; et certissime etiam Victoriae promissio non Beneventano, sed Sipontino Antistiti facta. Quod si bellum in Apuliae campis commissum, et e conspectu Gargani montis, qui tunc *visus est tremere*, ut ex Apparitionis Historia, vix credi poterit Neapolitanos lacessentes simul Beneventanos, et Sipontinos, Benevento post terga relicto, ad dimicandum in Apuliam descendisse. Ut vero res magis clarescat, hic adferre iuvabit quae Honorius Augustodunensis Lib. III. Gem. An. de bello hoc, et Guillelmus Durandus Rat. Lib. VII. Cap. XII. scripserunt. = Et primus sic = *Festum S. Michaelis est illa dies, qua populus Christianus cum paganis pugnavit et Victoriam per S. Michaelem Archangelum obtinuit*. Alter vero = *Hoc festum* (scilicet VIII Id. Mai) *quod est commemoratum Victoriae S. Michaelis inde originem sumsit, quia barbari depopularentur Apuliam, Christiani triduano ieiunio indicto* S. Michaelis auxilium imploraverunt, per *cuius visibile patrocinium fugae terga dederunt, et Christiani victoriam habuerunt. Vocatur etiam festum revelationis; quia in Monte Gargano*

Quod vero ex intercessione S. Archangeli *Zotoni*, eiusque Beneventanis haud licuit, Garganicam videlicet depraedari Ecclesiam, licuit postea Graecis, non quidem anno *DCL*, quo incassum id tentarunt a Grimoaldo Beneventi Duce profligati, qua de re legendus omnino Cl. Muratorius ad *hunc annum*, *sed qui* Constante, sive Constantio Imperatore anno *DCLXIII* Tarentum appulsi totam Apuliam ferro, et sanguine foedarunt, et inter civitates alias Luceriam funditus destruxerunt. Quis enim fuerit postmodum Garganicae Ecclesiae status, ex Actis eruitur S. Barbati, qui anno *DCLXIII* petiit obtinuitque ut Ecclesia illa Beneventano Episcopo subiiceretur = *Quoniam absque cultoribus omnia depravantur*, *unde nec sedulum Deo illic sacrificium persolvi potest.* Nullimodo vero dubitamus, quin a S. Episcopo restituta fuerit Ecclesia, et sacer in eo reparatus cultus. Pluribus vero postea direptionibus subiecta fortasse fuit, et maxime a Saracenis, per Apuliam longe lateque circa medietatem saeculi *IX* grassantibus, ita ut *deserta fieret et ruinosa*, et hinc anno *DCCCLXV* a *Ludovico II* Imperatore *Agoni* Beneventano Episcopo iterum commendata fuerit. Stetit tamen Sancta Archangeli Basilica, et toties direpta et vexata stat nunc quoque magno gaudens honore, ita ut ex hoc etiam peculiari in protectione eiusdem Archangeli Basilica isthaec fuisse et esse dignoscatur.

---

revelatus est ut sequitur. Anne vero Neapolitanos Scriptor alter *paganos*, et quod magis est, alter *barbaros* appellasset? Addit deinde Durandus: *Ipsemet Michael fundavit Ecclesiam et consecravit altare*, *unde dicitur stetit Angelus iuxta aram templi etc.* (hoc Offertorium legitur in Missa). *Hoc fuit in monte Gargano: postea vero revelavit hoc hominibus per Episcopum Regionis illius.* Quibus ex verbis patet *revelationem primam*, et posteriorem *Victoriam* simul confudisse.

Isthac vero statuta Garganicarum rerum chronotaxi, omnia quae de Ss. Episcoporum ad dedicandam S. Archangeli Basilicam itinere narrantur, nullum prorsus habere locum possunt, ni forte quis suspicari velit plures convenisse Episcopos ad festum, sive etiam ad reconciliationem Sanctae Basilicae tum, cum a S. Barbato fuit, ut par erat, restaurata. Neque vero nos putamus sub eodem Sipontino Episcopo, *S. Laurentio* videlicet, et Apparitionem factam, et Victoriam obtentam, et deinde Ecclesiam dedicatam. Quod etiam aliquo modo probari poterit, quod in porta ex aere graecà manu sculpta eiusdem Basilicae, cuius ectypon Clar. Ciampinius primum, deinde Eminentissimus Borgia vulgavit, non *S. Laurentio* nominatim, sed generatim Episcopo primam factam revelationem, et secundam de Victoria, qua in re secutus est sculptor Adonem, ut supra monuimus.

Quod si hic plenius disserendi locus esset, plura afferre liceret, quae demonstrare possent, quicquid de itinere Episcoporum narratur, laciniam esse primaevae historiae adiectam, et posterioribus temporibus etiam dilatatam. Ecquid enim caussae fuisset, ut Episcopos Canusinum, Salpensem, Rubesanum, Tranensem, et Venusinum, dissitos a Gargano, ad dedicationem, vicinioribus omnino posthabitis, S. Laurentius invitasset? In vita metrica quoque eiusdem Sancti nulla mentio Ss. Richardi Andriensis, et Rogerii Cannensis Episcopi, qui nomine ex ipso Nortmannicam gentem prae se ferunt, ut Cl. *Assemannus* observavit; et tamen horum etiam Episcoporum nomina vulgatis in actis adiecta leguntur. Sed his omissis quotus, quisque erit, qui credat Gelasium Barulum ad S. Andreae Ecclesiam dedicandam venisse? (1) Longe quoque a ve-

---

(1) Apposite Cl. Assemannus (de Rebus Neapol. et Sic. T. II pag. 429.) adnotat a S. Silvestro per totum *XI* saeculum nunquam Pontifices ad consecrandas Ecclesias Nea-

rosimili etiam distare videtur, quod Illustrissimus *Tortora* adserere haud dubitavit, Sabinum, cum adhuc laicus homo, et adolescens esset, *Gelasium* in Apuliam advocasse et laicum quoque dedicationi Ecclesiae S. Michaelis adfuisse. Ad haec autem doctum virum confugere oportuit, ut obiectis a Bollandiano scriptore aliquo modo satisfaceret. Hic enim unum et alterum fuisse Canusinà in Ecclesia Sabinum suspicatus erat.

Ceterum nullis e monumentis *Barolitanis* erui potest fuisse *Baruli* Ecclesiam S. Andreae ante saeculum XIII. Id didicimus ex Mss. Dissertatione doctissimi viri *F. Iosephi Mariae Elephante* Ordinis Praedicatorum olim Magistri, quam clarissimus eius ex fratre Nepos *D. Iosephus Rinaldus Elephante* nobis communicavit. Erat quidem antiquitus S. Andreae nomine dedicata Ecclesia extra muros Baruli (1), sed ab hominibus civitatis post Franciscani ordinis institutionem, et pro eiusdem ordinis alumnis aedificata; hac vero diruta, (2) nova S. Andreae Ecclesia

---

polim, aut ad alias Campaniae, Apuliae, Bruttiorum, et Siciliae urbes perrexisse, sed per litteras mandasse Episcopis, ut *eas nomine Sedis Apostolicae consecrarent*, quod ex Epistolis S. Gregorii, Benedictini adnotatores quoque probant.

(1) Huius Ecclesiae et Conventus Fratrum mentio habetur apud Dominicum de Gravina, ex cuius narratione coniici posse videtur Ecclesiam illam, eo quod aditum ad moenia urbis hostibus praeberet, dirutam fuisse.

(2) Quo hodie loco, vel si placet, aliquantulum a Mari longius olim *Barolum* sive *Bardulum* in Peutingerii Tabula ponitur VI. ab *Aufido* lapide VIII vero *Tureno* (Trani) medio *flumine Aveldio*. Diximus *si placet longius* a mari, ex eo quod Guillelmus Appulus scripsit *Petrum Trani comitem Barolum maris aedificavisse in oris*. Quidquid vero de hoc sit, mirari certe subit, magnae famae scriptores *Barolitanae* urbis nomen e laguncula (Italice *Bariletta*), quae diversorii illic positi quondam signum erat, sumsisse. Non vero moramur illud *Barisectum*, quod non contemnendus ceteroquin scriptor somniavit. Erravit quoque *Ferrarius* in Lex. Geograph. Barolum idem ac Strabonis *Baretum* adfirmavit. Non apparet vero, quo

intra moenia excitata fuit et eiusdem ordinis Fratribus data, et quae et hodie exstat. Quod si nulla S. Andreae nomine Baroli fuerit olim Ecclesia, eaque saeculo XIII primum aedificata, illud consequi videtur laciniam adventus Gelasii in Apuliam, et dedicationis Ecclesiae ab ipso peractae, saeculo XIII vel tardius etiam adsutam. Sed alii doctiores videant.

Quoniam vero occasione Basilicae S. Michaelis ad S. Rogerium Cannensem Episcopum Barolique Patronum, et Richardum Andriae Episcopum, et Patronum devenimus, liceat aliqua de iis adferre, non ea quidem quae Ss. Episcoporum existentiam, et cultum feriant, sed quae aetatem, qua illi floruerint, melius statuendam conferre poterunt. Et primum supralaudatus P. Elephante plura, et doctissima de S. Rogerio congessit, quem nullo modo S. Gelasii temporibus tribui posse, probat vel ex eo etiam, quod Clar. Assemannus observavit nomen ipsum Ro-

---

nixus fundamento *Baudrandus* in Additionibus civitatem praedictam in dies deficere dixerit. Ceterum e *Cedula taxationis de distributione novae denariorum monetae siclae Brundusii distribuendae in infrascriptis terris* etc. quam apud Cl. Forgesium legimus (dissertaz. sulla seconda moglie del Re Manfredi) erui facile poterit saeculo XIII ad finem vergente in provincia Peucetiae, Baroli prae ceteris urbibus frequentiorem fuisse populum, tum deinde hoc ordine, Bytunti, Trani, Barii, Monopolis, Melphicti etc. ut sunt vero res humanae, alius est ordo hodie, ut primo Barium, deinde Melfictum tum Bytuntum, Barulum, Monopolis. Hac vero occasione, dubitationem omnem avertere iuvabit in quam ex errore inciderunt Benedictini doctissimi Patres, qui in Auctariis ad Cangium voce *Barolanus*, post recitata ex Malaspina apud Balutium, haec verba = *Inter quos* (regnicolas) *quidam Barolanus praecipue nomine Genzolinus de Marra*, *cuius progenitores de montibus Amalphiae traxerunt originem*, *ad tractatus rerum domesticarum regalium familiaris admittitur* = hoc adnotant: *An idem qui infra Baronettus ?* Non utique Genzolinus *Baronettus* sed *Barolitanus* civis gente ex illustri *Barolitana* quondam, cuius monumenta etiamnum Baroli exstant.

gerii satis declarare post Nortmannorum in has regiones adventum ipsum floruisse. Denique in illam descendit doctissimus P. Elephante sententiam, S. Rogerium, de quo agimus, illum ipsum fuisse, qui adfuit dedicationi Ecclesiae *S. Sabini* Canusii a *Paschale II* anno *MCII* peractae, ut ex Pontificis Diplomate in Ecclesiae Canusinae Tabulario servato, et quod Ill.mus Tortora recitat, et ex marmorea inscriptione adhuc exstante manifeste apparet. Optandum esset ut clarissimi viri Elephante Dissertatio typis vulgaretur.

Illud idem quod S. *Rogerio* Cannensi evenit, ut a saeculo *XII* ad *V* vel *VI*, retrotraheretur de S. *Richardo* Andriensium Episcopo, et patrono factum, cuius Nortmannicum nomen etiam post eorum in Apuliam adventum floruisse illum demonstrat. Ughellius vero *Richardum Andriensem* Concilio Romano adfuisse indicavit anno MCLXXIX sub Alexandro III. Doctissimus quoque Papebrochius haec habet (1): *Nihil esse caussae apparet cur S. Richardus Andriensium Episcopus, qui hac die colitur non fuerit idem ipse, de quo memoria in hoc monumento, ab Hadriano IV itidem ut ipse natione Anglo, vel ante vel in Pontificatu ministravit, promotus, et ordinatus intra annos MCLIV et MCLIX quibus ille universalem Ecclesiam rexit. Neque refert, si longe alia vetustioraque narrent lectiones officii proprii, quibus Ecclesia Andriensis per duo fortassis saecula nunc utitur. Haec enim non exstabant cum corpus S. Richardi reperiebatur, immo nec sciebatur vulgo dies obitus, quia (ut ait Scriptor historiae inventionis) legenda non erat inventa. Haec vero cum nec postea inventa sit, consequens est nullam postea scribi potuisse nisi per meras coniecturas. Adde quod Andria non videtur urbs tantae antiquitatis, nec saeculo V Anglosaxones converti coeperant. Fortassis Andria Episcopali dignitate donata fuit a*

(1) In Actis Ss. ad diem 2. Iunii.

Gelasio Papa II tum cum Terracinae morabatur. Haec eruditissimus Papebrochius, quae ea spe attulimus fore, ut melius ac firmius Andrienses S. eorum Patroni aetatem statuant; monumentisque tutiora doceant, quo in secunda huius nostrae Opellae parte, palinodiam etiam si oporteat, canamus. Ceterum illa magis eiusdem Papebrochii coniectura arridet, qui *S. Richardum* illum ipsum fuisse adfirmat *Richardum Andriensem* Episcopum, qui ex monumento anni MCLXXXXVI habetur *reliquias Ss. Martyrum Erasmi et Pontiani a Civitella Samnitum vicinorum oppido mente hilari et devoto genu suscepit.* Nec illud silentio praetereundum erit nullam prorsus in antiquis, quae plurima legimus, agiographis harum regionum *S. Richardi*, nisi admodum recenti manu memoriam legi contra id, quod Historiae inventionis scriptor adfirmavit. In Breviario tantum Mss. Canusinae Ecclesiae ad marginem et infimam paginae oram legimus alia manu, et quidem XV saeculo exeunte scriptam, ut videtur, *Antiphonam* de S. Richardo una cum *oratione* in eiusdem festo ad diem S. Marci: utramque in ima pagina damus (1). Sed a diverticulo in viam.

Plura, si vacaret, dicenda essent et de tempore quo S. Archangelus a Longobardis ut eorum Patronus habitus sit, et de *honore S. Michaelis Archangeli*, sic enim dicebant, quo ornari Regalis etiam familiae Principes solebant, tum denique de peregrinationibus Sanctorum hominum, et Principum et Imperatorum ad sanctum locum. Optandum equidem esset, ut plena Sanctuarii tam celebris scriberetur historia. Haud

(1) *Antiph.* Precemur Christum Dominum et Richardum Episcopum cum suis sanctis precibus nos conducat in celestibus = Ora pro nobis = *Or.*° Omnipotens sempiterne Deus qui beatum Richardum Pontificem et Confessorem tuum sanctorum tuorum Collegio sociasti: concede nobis quesumus ut eius meritis et precibus tuam misericordiam consequamur et pacem hac (sic) mentis et corporis perpetua sospitate fruamur. Per dominum etc.

vero praetermittemus specialem purificationis sive ablutionis post sacram Communionem acceptam, ritum hic adferre, quem Clarissimus Martenius (1) ex Codice *Maioris Monasterii* X saeculo exarati exscripsit. Est autem huiusmodi = Ex ipso autem saxo, quo sacra contegitur Ecclesia, » ad Aquilonem Altaris, dulcis et nimium lucida guttatim aqua dilabitur, » quam incolae *Stillam* vocant; ob hoc et vitreum vas eiusdem receptui » praeparatum argentea pendet catena suspensum; morisque est populo » communicato singulis ad hoc vasculum ascendere per gradus, donum» que caelestis degustare liquoris.

En autem Lectiones Apparitionis S. Archangeli ex Mss. Breviario Insignis Basilicae S. Nicolai Barii; easque sine emendationibus, sed ut in autographo leguntur, damus. Ad imam vero paginam variantes aliquas ex Mss. Breviario Canusino.

I.

Memoriam S. Michaelis Archangeli toto orbe venerandam ipsius et opere conditam et consecrata nomine demonstrant Ecclesia, qua non metallorum fulgore sed privilegio est commendata signorum.

II.

Nulli (2) facta scemate sed virtute celesti predita utpote que fragilitatis humane et memor Archangelus veniens ad promerendum ibi mortalibus supernorum societatem propria sue manus operationis eadem dignatus est (3).

(1) De antiquis Ecclesiae ritib. lib. I. cap. IV. Art. X.

(2) Canus. *Vili*.

(3) Totum quod ab *utpote* usque ad finem excurrit in Canus. deest.

III.

In vertice siquidem montis excelso posita est de corpore eiusdem saxo spelunce instar precavate ostenditur. Est autem in Apulie finibus ubi inter sinum Adriaticum et montem garganum civitas Sypontum posita est.

IIII.

Qui a menibus civitatis a duodecim millia per exeptum (1) in cacumine suo supremo beati Archangeli quam prefatus suggestat Ecclesia (2) hanc mortalibus hoc modo cognitam libellus in eadem Ecclesia positus indicat.

V.

Erat igitur in ea civitate predives nomine Garganus qui ex nomine suo montis vocabulum indidit. Huius dum pecora quorum infinita multitudine pollebat passim per diversa montis latera pascebant.

VI.

Contigit tantum armenti gregis consortium spernentem incedere solito et ad extremum redeuntibus domini pecoribus non esse regressum.

---

(1) Canus. *erectus* sine praepositione.

(2) Quae sequuntur usque ad finem lectionis in. Canus. desunt.

VII.

Quem dominus collecta multitudine suorum per devia quoque requirens invenit tandem predicta in vertice montis foribus assistere cuiusdam spelunce.

VIII.

Qui exerto arcu illum sagitta tossicata (1) que venti famine (2) detorta eum a quo iacta est mox reversa percussit. Turbati proinde cives et stupefacti qualiter res fuerit effecta.

IX.

Non enim accedere audebant consulerunt hic Episcopum quid facto opus sit. Qui indicto ieiunio adeo (sic) monuit esse querendum quo peracto Sanctus domini Archangelus Episcopum per visionem alloquitur dicens.

Quo vero magis erga S. Archangelum animi nostri devotionem ostendamus, lubet hic Missam *in eiusdem honore* exscribere, quae in Sacramentario Gallicano a doctissimo Mabillonio edito (Tom I. Mus. Ital.) legitur. Ibi post epistolam quae desumta est e S. Ioannis Apocalypsi = *Factum est praelium in caelo* = et Evangelium transfigurationis Domini nostri ex Matthaeo (3), sequentia leguntur = Aeterne Omnipotens » Deus, qui universam in principio creaturam Verbo cooperante ex ni-

(1) Tossicata deest in Canus.

(2) Canus. *flamine*.

(3) Epistolae hanc adiunxit notam Mabillonius = *Haec lectio recte convenit*

» hilo condidisti, quique angelicam substantiam splendore conspicuo po» tentialiter adornasti; te supplices quaesumus, et oramus, ut in hac » sollemnitate quam sub tui nominis invocatione in honore Archangeli » Michaelis (celebramus) nostras preces exaudire digneris. Per = Secre» ta = *Preces populi tui domine* dignanter exaudi, quas in culto tem» pli huius (1) ob honorem Sancti Archangeli tui Michaelis . . . . . et » ita tibi pro eius sollemnitate oblatio nostra fiat accepta.

» *Contestatio.* Vere dignum et iustum est omnipotens Deus, in die » Festivitatis hodiernae, quo in honore Beati Archangeli Michaelis dedi» cata nomini tuo loca sacris sunt instituta mysteriis, omnium societa» te sanctorum ipsa fides, quae illos tibi fecit amicos esse, pro nobis » apud te faciat advocatos. Illorum corona nostra sit venia, imitatio nos

---

festo S. Michaelis. Sed quomodo Evangelium eidem aptari possit, non facile intelligitur.

(1) Quod potissimum templum locutione hac *huius templi* indicetur, ignorare penitus fatemur. Cum vero Mabillonianum Sacramentarium ad aliquam ex Gallicanis Ecclesiis certe pertinuerit, cumque Galliis duae quondam essent in honorem S. Archangeli Deo dicatae, altera scilicet celebris ex revelatione S. Michaelis ab Autberto Abrincensi Episcopo erecta, altera a quodam Wolfando Comite aedificata, ad unam tantum Ecclesiarum missam pertinuisse dicendum. Utcumque vero sit, utraque Ecclesia nostra ab Aede Garganica dedicationis initia, et auspicia cepit. Videatur si placet Eminentissimus Borgia, Memorie storiche di Benevento T. I. Sed cum in *Contestatione*, sive ut et hodie dicimus *Praefatione* dicantur *Loca dedicata*, videtur hocce festum pro dedicationis omnium Ecclesiarum in honorem S. Archangeli erectarum, fuisse celebratum. Simile quid habetur in Breviario insignis Ecclesiae Lyciensis; in quo haec legitur Oratio seu Collecta in Apparitione S. Michaelis = In honore beati Michaelis Archangeli loca nomini tuo dicata mystico frequentamus officio: praesta quesumus domine: Eius nos gaudere suffragiis cuius sublimia merita recensemus. Per dominum.

» esse faciat sine poena, illorum oratio salutem nobis conferat sempiter-
» nam. Per Christum Dominum.

Illud etiam adiungimus in Antiphonario S. Gregorii a B. Cardinali Thomasio edito (Tom. V. opp.) et Mss. Bibliothecae Angelicae ad III. kal. octob. legi.

Infract.

» Angeli circumdederunt altare, et Christus administrat panem sanctorum et calicem vitae in remissionem peccatorum.

alia *Infract.*

» Multitudo Angelorum simul Archangelorum Domine laudes tibi » referunt, quia misisti spiritum sanctum tuum ad confirmandum nobis corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi. Alleluia.

Denique qua et quanta S. Michaelis Archangeli et eius Basilicae Dedicationis festus dies sollemnitate, et speciali reverentia olim in S. Ecclesia celebratus fuerit ex eo quoque argui poterit, quod in vetusto *Responsoriali* et *Antiphonario* S. Gregorii Papae legatur: *In Vigilia S. Michaelis Archangeli*, quae *Vigilia* in *Willelmi* I. Anglorum Regis lege habetur. Ex praedicto quoque *Antiphonario* S. Gregorii a *B. Cardinali Thomasio* discimus numeratas olim Dominicas dies *a Festo S. Michaelis* usque ad Adventum. Denique legere erit apud Cangium (voce *Trequa Dei*) S. Archangeli festum inter sollemniora habitum, eoque maxime Treguam Dei servari oportere olim statutum.

AD DIEM II. IUNII

In S. Nicolai Peregrini Hydrunto Tranum Odeporiam Adnotationes.

Quum nihil, quod pertineat ad Ecclesiasticam historiam harum, quas incolimus, regionum, esse nobis alienum possit, quumque legeremus acta *S. Nicolai Peregrini*, inlustris Tranensis Civitatis Patroni praesentissimi, apud Bollandianos aliquae observationes a nobis factae sint, non ingratum fore putamus has lectorum, et maxime Tranensium, iudicio subiicere.

Omni procul dubio est S. Iuvenem e Graecia, unde ortus erat, *Hydruntum* appulisse, idque eius acta testantur. Et primum quod in iis dicitur, *S. Nicolaum* videlicet SS. Dei Genitricis imaginem, quae more solito publica supplicatione per civitatem ferebatur, adorare renuisse, quaestionem movet, eccur Sanctus adolescens obstinato animo, a populo etiam requisitus, venerationis signum dare negaverit. Doctissimus enimvero Papebrochius ad diem 2.m Iunii id fecisse eum suspicatur humilitatis caussa, utque ab Hydruntinis veluti fatuus, ac demens censeretur. Pace autem tanti viri nec res ipsa ex actis erui posse, nec satis pia excusatio videtur. Mendum fortasse latet in Mss. ex quo acta exscripta sunt; et populi Hydruntini voces illae *Abba adora, Abba adora,* non ad Sanctum virum directae, sed ad *Iudaeum* illum potius, quem ipse Sanctus salutasse, et tamquam *unius factoris, similisque plasmatis,* amplexatum fuisse in ipsis actis refertur. Ecquid enim Graeci homines quales *Hydruntini* tunc temporis, homini adolescenti et Graeculo nomen *Abba* tribuissent? Credere melius fortasse erit *Iudaeum* recusasse adorationem S. Imaginis, et ex eo indignatos Hydruntinos verberasse *Iudaeum,* et forte etiam Sanctum Iuvenem, quem existimabant *Iudaei* amicum. Sed coniecturam hanc melius aliis examinandam relinquimus.

Non vero praeterire licet nobis illud quod de *Leucae* promontorio adnotarunt Bollandiani in acta S. Nicolai, illud scilicet esse *promontorium e regione Italiae, Hydruntinae ditionis.* Quae verba indicare videntur, Promontorium istud non in Italia, sed *e regione*, sive contra eam esse, cum revera in Italiae calcaneo, ut solet dici, sit, et non in ditione, sed in Provincia Hydruntina. Nunc vulgo dicitur *Capo di Leuca*, vel etiam *Capo di S. Maria*; et prima quidem appellatio ex eo venit, quod ibi erat *Leuca*, de qua Lucanus,

. . . . *Parvae moenia Leucae*:

Altera, quod ibi etiam nunc sit celebris Ecclesia S. Mariae nomini dicata.

Nunc vero de via, qua *Hydrunto Tarentum*, *Tarento Tranum S. Nicolaus* perrexerit, aliqua adnotare lubet. Ex actis habetur Peregrinum *Hydrunto* profectum Villam petiisse quamdam *sub eadem Civitate consistentem* nomine *Suggianum*, ibique Ecclesiam S. Nicolai intrasse, et dixisse, *Clarificabitur locus iste usque ad finem mundi.* Doctissimus Papebrochius se ignorasse ait, qui potissimum vicus ille fuerit. Quum vero illud legere nobis datum, continuo in mentem venit, Vicum illud fuisse, quem nunc *Uggiano della Chiesa* appellant ad distinctionem alterius huiusmodi nomine Vici, qui prope *Tarentum* iacet. Rem vero nobis perpendentibus facile errorem deprehendere fuit. Nec enim ulla ibi Ecclesia est, aut fuit *S. Nicolai*, nec Vicus ille secus viam est, qua *Hydrunto Lycium* itur. Cogitavimus demum de altero Vico illo, qui et ad *Hydruntinam* quoque dioecesim pertinet, et in medio fere inter *Hydruntum* et *Lycium*, vulgo hodie *Sogliano* appellatur. Ibi utique vetus Ecclesia nomini S. Nicolai dicata usque nunc exstat, et quae in Visitatione anni 1607 a tunc Archiepiscopo *Morra* sic describitur = *Ecclesia ipsa est subterranea sub fornice bene constructa, videlicet una pars istius reliqua vero sub antro subtus terram .... habet altare lapideum cum* Cupula *more Graecorum, cum nonnullis imaginibus Sanctorum* = Nullus igitur erit ambigendi locus, quin, *Suggianum*, quod in Actis dicitur, sit hodiernum *Sogliano.*

Non facile vero hariolari erit, ubinam fuerit *Olympia* illa, quo e *Suggiano* exiens Sanctus adolescens pervenire dicitur. Quid tamen in mentem venerit dicere non piget. Occasione *Olympiae* mentio in actis habetur monasterii *S. Laurentii*, et Ecclesiae *S. Zachariae*, quam intrasse Sanctus dicitur. Quum vero in Vico, qui hodie *Lizzanello* vocatur, unius fere diei itinere a *Suggiano* distante, celeberrimus fuerit, et sit adhuc *S. Laurentii* cultus, quumque milliario uno a Vico praedicto Ædicula adhuc sit nomine *S. Laurentii*, et prope illam rudera amplioris Ecclesiae, et aedificiorum illi proximorum adhuc remaneant, proni in eam descendimus opinionem, illic Sanctum permansisse, et inde *Lycium* tribus fere milliaribus a *Lizzanello* distans pervenisse. Ibi, *Lycii* scilicet, in Ecclesia *S. Demetrii* Sanctum habitasse scribitur, quae utique exstat adhuc hodie Lycii Ecclesia *S. Demetrii* nomini dicata intra muros, non vero extra, ut olim erat. Quum autem *S. Demetrii* mentio facta sit, iuvat adnotare *S. Demetrii* festum celebratum fuisse Lycii eodem, quo a Graecis, die videlicet 26 Octobris, ut ex eiusdem Ecclesiae Breviario patet, in quo tres etiam lectiones de vita illius Sancti leguntur.

Difficilius quoque erit locum designare quo *B. Nicolaus Lycio* exiens pervenerit. In actis legitur unius diei itinere a *Lycio* distare, eumque *Castrum evectum*, sive *erectum* appellatum *Castrum* sic dictum Bollandiani ibi fuisse suspicati sunt, ubi nunc *S. Viti* oppidum exstat, nullo alio fundamento nisi, quod unius diei itinere a Lycio distet. Quum vero Sanctus *Lycio Tarentum* versus iret, melius fortasse quis suspicari poterit Castrum illud, *Casalnuovo*, quod merito iure postliminii nunc *Mandurium*, vel antiquis scriptoribus notum, fuisse; vel certe in Manduriensi agro exstitisse. Equidem quum doctos homines Mandurienses, nobisque amicissimos interrogassemus, illud accepimus, uno a Mandurio lapide *Castrum Ugiani* sic dictum exstare ex parte nunc dirutum, necnon et tertio lapide locum alterum, qui hodie vulgo *le Castelle*, appellatur, ubi *Castri* rudera adhuc videntur, necnon et antiquae

Ecclesiae, in eaque pictae imagines, ita vero a tempore absumtae, ut vix discerni queant. Verosimile inde videtur *Mandurii*, vel prope *Mandurium* Sanctum nostrum diversatum fuisse, ex eo etiam vel maxime, quod per *Mandurium* recta *Lycio* via sit *Tarentum* versus, et unius diei itinere ab utraque distet.

E Castro erecto Tarentum pervenit S. Adolescens, et inde = *Tarento valedicens per Urbes maritimas incedens, quas enumerare est supervacaneum* = *Tranum* denique pervenit. Ita ex actis. Clarissimus vero Papebrochius maritimas et mediterraneas simul civitates miscens, illum *Hostunum* traducit, et inde per *Monopolim*, *Conversanum*, *Barium*, *Butuntum*, *Melphietum*, *Vigilias*, et denique *Tranum* perducit. Nec *Conversanum*, nec *Butuntum* urbes sunt maritimae, sicut nec etiam *Hostunum*, quo si Sancto adolescenti foret eundum, versus *Lycium* retrocedendum illi fuisset. Ceterum homini Belgae, quamvis doctissimo, parcendum. Sed ista sufficiant.

Huius gloriosissimi Sancti vita habetur a *P. Agnello Bruno* Societatis Iesu italice scripta, instante *Paullo Ximenes Alexandri* Tarenti Archiepiscopo, et ab hoc D. Gaspari de Haro et Gusman Regni Neapolis Proregi, Hispanico idiomate dicata, et impressa Neapoli 1687 typis Novelli de Bonis. Ultima eius reliquiarum translatio facta fuit ab Archiepiscopo Andrea de Franchis, celeberrimi S. R. C. Praesidis, *Vincentii de Franchis* Filio, Synodo ad hoc celebrata, cui interfuerunt etiam *D. Salutius Episcopus Rubensis*, et *D. Bovius Episcopus Melphictanus*, necnon et *Archipresbyter*, et *Cantor Ecclesiae Butuntinae*, *Archipresbyter Rubensis*, et *Primicerius Melphictensis*, omnes hi, Episcopi et Dignitates extra Tranensem Ecclesiasticam Provinciam.

Quod vero ab Auctore Vitae S. Nicolai narratur de sanitate Lycii reddita Guillelmo Regi, et de Templo ibi excitato, et donatione Castri *Melendunii* ab ipso Rege facta, nullum nobis datum est reperire documentum.

AD DIEM VI. KAL. IULII

ORDINIS MISSALIS MELPHICTENSIS

DE ECCLESIA S. MARIAE DE MARTYRIBUS

COMMENTARIUS.

Quae in Kalendario Melphictensi I die VI kal. Iulii legitur rubris scripta litteris *Dedicatio S. Marie de Mart.* nullo modo confundenda est cum *Dedicatione S. Mariae ad Martyres*, quae in antiquis plurimis Hagiographis legitur, et quae etiam Romano in Martyrologio ad diem III Id. maii adscribitur. Vel titulus ipse, nec non et diversus dedicationis dies, Ecclesiarum dedicatarum diversitatem penitus demonstrat. In nostro kalendario enim *S. Maria* dicitur *de Martyribus*, quae vero Romae *ad Martyres* appellatur. Scilicet nostro in kalendario antiquae Ecclesiae prope Melphictum titulo S. Mariae de Martyribus, populi Melphictensis, et finitimorum populorum devotione, et frequentia iam olim, et adhuc hodie celebris dedicatio indicatur. Huius Ecclesiae historiam scripsit laudandae semper memoriae Ioannes Antonius Bovius ex Carmelita, Melphictensis Episcopus, quae post eiusdem obitum typis *Nucci* impressa fuit Neapoli anno MDCXXXV, et Bovii in Episcopatu successori Hyacintho Petronio nuncupata, curante Iosepho de Luca. Aliqua etiam de hac Ecclesia scripsit Eruditissimus Vigiliensis Episcopus Pompeius Sarnellius (1); necnon et piissimus P. Seraphinus a Montorio Ordinis Praedicatorum in suo *Zodiaco Mariano* (Neapoli 1715), quo in opere,

(1) Lettere Ecclesiastiche Tom. V. let. 38.

cum, quae celebriores in Neapolitano Regno SS. Virginis pictae Tabulae essent, describere suscepisset, inter illas et pictam Tabulam eiusdem SS. Virginis, quae nostra in Ecclesia *de Martyribus* colitur, adnumerare censuit, et quamplurima ope SS. Mariae a Deo patrata miracula retulit. Denique et P. Damianus in *Historia vitae S. Conradi Bavari*, de quo alibi diximus, aliqua de hac Ecclesia etiam adnotavit. Rem igitur non Melphictensibus tantum, sed comprovincialibus etiam hominibus, haud ingratam facturos putamus, si ex indicatis scriptoribus aliqua excerpamus, et aliqua etiam, quae ad istam illustrandam Ecclesiam facere videantur, nos quoque addamus. Et primum de Ecclesiae erectione.

Ut Brundisinus Portus Romanorum temporibus ad traiiciendum in Graeciam et Orientem quam maxime opportunus visus fuit, ita tum, cum proclamata Crucesignatorum expeditio sacra fuit, et Brundisinus ipse portus, et Hydruntinus et Tarentinus, et alii quoque, qui per Peucetiae maritimam oram portus sunt, quam commodissimi habiti fuerunt ad navigandum in Graeciam et Syriam, et ad redeuntium illis e regionibus ad Patria litora appulsum aptissimi. Hinc mira per nostras has regiones undique confluentium Crucesignatorum multitudo, ut ex sacrae huius expeditionis Historia patet. Cogitatum inde, ut Nosocomia erigerentur ad recipiendos curandosque infirmos, maxime autem saucios, vel in bello mutilatos Christianos milites ad propria redeuntes. Id praestitum a Rogerio Guiscardo (1), amplissimo aedificato Nosocomio duas in partes, sive alas, distributo ad dimidium a Melphicto milliarium iuxta litus maris. Quod vero hic potissimum electus Nosocomii locus fuerit, illud fortasse in causa fuisse videtur, quod ad litus maris posi-

(1) Sic Damianus, Lombardus, et Bovius. Boamundum vero illud aedificasse adfirmavit quadam in notula rerum Melphictensium solertissimus conquisitor Cyrus Xaverius Minervinius. Eius libenter sententiae subscribimus, vel ex eo etiam quod tunc temporis Melphicti, ut et Barii, finitimarumque Civitatum dominabatur Boamundus. Quod vero eius ardens belli sacri fuerit studium, omnes norunt.

tus, et facilis, tutusque quam latissime navigiorum appulsus, necnon et prope Civitatem commercio Orientis, tunc temporis, et onerariarum navium multitudine florentem, ut alias narrabimus, et etiam quod inter duo esset Monasteria paucis hic inde passibus distantia, ut ne sic infirmorum curae, et Religionis Sanctissimae adiumentis praestandis quid deesset. Ex dictis Monasteriis alterum quidem titulo SS. Philippi, et Iacobi ad Occidentem, alterum SS. Salvatoris ad Orientem positum erat. Primum ex Bulla Hadriani IV anno MCLVIII a Cl. Ughellio *in Sipontinis* relato patet ad Monasterium SS. Trinitatis de Monte Sacro pertinuisse; et ibi Monachos habitasse, quae exstabant nostra etiam aetate, aedificia et rudera testabantur. Alterum ibi, ubi nunc *le Croci* dicitur, exstitisse et apud Notarios monumenta plurima, tum et eiusdem rudera prope litus maris paucis retro annis adhuc conspicua testabantur.

Locus deinceps, ut opus certe erat, humandis mortuorum cadaveribus prope Nosocomium ipsum adsignatus fuit, qui *Carnariae* nomine appellabatur. Cum vero significatione aliqua tamquam Martyres ii haberentur Crucesignati, qui quocumque modo ipsa in expeditione, quam pietatis, et Religionis, et Patriae caussa susceperant, obiissent, hinc auctoritate Guillelmi I Regis nostri anno MCLXII erecta Ecclesia fuit *in loco Carnariae, ubi corpora peregrinorum Martyrum requiescebant.* Ex eo nomen *S. Mariae de Martyribus* Ecclesiae datum. Optime more suo Episcopus Sarnellius docet non vero, et proprio sensu *Martyres* appellari, qui sacra in expeditione obiissent, utique potuisse, sed sensu, ut aiunt, lato, ita ut *quasi martyres fuerint*: qua de re plura congessit testimonia, videlicet Urbani II in Concilio Claromontano, Innocentii III in Epistola ad Alexium Constantinopolitanum Imperatorem, et S. Bernardi ad Templarios scribentis, qui illos *quasi Martyres, et Martyrum commercium habentes* dicunt. Iis nos adiungimus Leonem IIII, cuius hac de re sententia a Gratiano refertur *Caus. XXIII Quaest. VIII.* Huius porro Ecclesiae auspicalem lapidem posuit Rubastinus, seu Rubensis Episcopus, *eo quod* Melphictensis *absens extra Regnum esset.* Quis noster Episco-

pus iste fuerit, et cur a Regno absens, inferius, cum de Melphictensibus Episcopis dabimus aliqua, inquiremus. Nomine tamen Melphictensis Ecclesiae et Episcopi adfuerunt Archidiaconus, Archipresbyter et duo Primicerii cum Advocato Episcopii et pluribus e Clero, qui dotis nomine novae Ecclesiae bona aliqua adsignarunt. Sed praestat acta ipsa, quae ex membranaceo autographo (quod nos etiam olim ob oculos habuimus) recitat Ill.mus Bovius.

» Anno ex quo Verbum caro factum est Millesimo centesimo sexagesimo secundo, Mense Martii, Indictione decima, et anno duodecimo Regni Domini nostri gloriosissimi Regis Gulielmi, presentibus nobis, Magno Archipresbitero, et Ungro ac Guido Primiceriis, necnon Ursone, ac Nicolao Romano Melicecca Sacerdotibus, et aliis quamplurimis Clericis foris in loco Carnariae, ubi corpora Peregrinorum Martyrum venerabiliter requiescunt, presente etiam Rugerio Archidiacono, et Rectore ipsius Episcopii (1) iussione Domini nostri Magnifici Regis Dominus Urso Venerabilis Episcopus Rubisane Ecclesie illuc veniens cum quibusdam suis Clericis, rogatu ipsius Archidiaconi, et Nostri, designavit, et Canonice benedixit terram nostri Episcopii supra, et in circuitu ipsius carnarie ad edificandum in ea Ecclesiam ad honorem Gloriose Virginis Marie, et sanctorum Martyrum, eo quod noster Antistes absens extra Regnum erat; quibus ita peractis, quia ad commodum, et utilitatem nostri Episcopii spectabat, praefatus Archidiaconus una cum Siphando advocato (2) nostri Episcopii ratione

(1) Quid hic *Rector Episcopii* denotabit? fortasse, ut arbitramur, bonorum Episcopalium, sive ut nunc dicimus Mensae Episcopalis, is Rector, et Administrator erat, qui etiam et *defensor* vocabatur.

(2) Non ea, qua hodie, acceptione *Advocati* nomen sumendum. Vel ex hac Charta liquido constat Advocatum nostrum Siphandum veluti iure proprio, vel tutelari saltem potestate una cum Rogerio Archidiacono, et Episcopii Rectore Ecclesiae

» exigente dotavit, et per fustem tradidit consensu, et voluntate totius
» conventus ad opus ipsius Sancte Ecclesie in manu eiusdem Domini
» Episcopi duas petias (1) de terra cum arboribus Olivarum, una qua-
» rum est a medio pariete Clausure prefati Episcopii, que dicitur Pia-
» narelli, altera vero est in loco Pizzilli iuxta terram cum olivis ....
» .... ut a presenti fiat in potestate predicte Ecclesie ad haben-
» dum et possidendum eas cum introitibus, et exitibus suis, ac cum
» omnibus intra habitis, faciantque in eis et de eis omne, quod volue-
» rint. Et memorie causa hoc nostrum (2) recordationis scripsit Rao
» Primic. Scriniarius (3), et Sacerdos = Quia presens fuit, asserit hoc
» Sedis Rubensis Episcopus Urso = Ego Magnus Archipresbiter testis.
» Ungrus Primicerius qui supra asserit hec etc.

---

dotationi interfuisse: nec id tantum, sed et una cum praedicto Rectore Ecclesiam ipsam *dotasse* et *per fustim* dotis caussa praedia duo tradidisse. Cum enim Conciliorum aliquot canonibus inductum primum fuerit, ut Episcopi, Abates, ceterique Ecclesiarum Rectores advocatos haberent, qui iura, et bona Ecclesiarum sive in iudicio, sive extra tuerentur, ne Episcopi, ceterique Ecclesiasticis Ministeriis addicti a sacrarum rerum cura abstraherentur, postea factum ut ab Episcopis, Abatibus etc. advocati electi ius aliquod, et potestatem in Ecclesiarum bona usurpaverint. Hinc qui Advocati, *Vicedominorum* etiam nomine appellabantur, unde titulus Longobardarum Legum lib. II Tit. XLVIII *de Advocatis*, et *Vicedominis inscribitur*.

(1) Vide, si lubet, Cangium voce *Pecia*, nam antiquis in Chartis *Pecia*, et *Petia* invenitur, et vulgo hodie *Pezza*. Videtur opponi *clausurae* (Italice *Chiuso*, o *Chiusura*) quae agellus est Sepe, Muro, vel Maceria clausus.

(2) Videtur legendum esse *instrumentum*.

(3) Qui nunc *Cancellarii* appellantur *Scriniariorum* olim nomine indigitabantur, quod *Scrinii*, arcae videlicet in qua libri, scriptaque servabantur, curam, custodiamque haberent. Habuisse autem olim Melphictensem Ecclesiam *Primicerium*

Sic Ecclesia exstructa, accidit, ut sequentibus annis crucesignatorum rebus declinatis, plurimi ex ipsis nostras in regiones reduces, sacras secum imagines, in primis Beatissimae Virginis, quisque in patriam suam, inferrent. Certe quae in Ecclesia, de qua agimus, picta colitur tabula, et quae Virginem SS. exhibet puerum Iesum inter ulnas habentem, duobus retro Angelis aulaea protendentibus, Graeci pennicilli opus est, ut et plures aliae, quae per Provinciam videntur, eaque ab aliquo ex nostris transvecta, in nostram deinde inlata fuit Ecclesiam, et Melphictensium publice exposita venerationi statim miraculis prodigiisque clarescere cepit, ita ut celebris nominis Ecclesia titulo *S. Mariae de Martyribus* et apud exteros quoque fieret. Ea ex ipsa devotione factum, ut certatim Melphictenses Episcopi, et cives aedificia aedificiis adderent; et alias quasi Ecclesias primitus exstructae adiungerent, superiorem scilicet S. Leonardi nomine, et inferiorem Christi Natali dicatam. Nec ab ornatu S. Imaginis cessatum. Exteriorem enim frontem aediculae instar, lapidibus anaglypho opere pulchre sculptis adiungi iussit Ioannes Baptista Cibo Cardinalis S. Caeciliae, et Melphictensis Episcopus, postea Innocentius VIII. Tum ea vicini maris erosa salsedine sublata, et in Sacrario memoriae caussa, ut etiam hodie videtur, reposita, novam selectis marmoribus fieri curavit Illustrissimus Bovius, cui tandem venerandae memoriae Episcopus Fabricius Antonius Salernus marmoreum altare supposuit. Alexius quoque Celadenus e Misitra Peloponnesi, Callipolitanus antea Episcopus, postea vero Melphictensis sacrae Imaginis margines lamina argentea ornavit, quin et argenteis quoque laminis Imagini ipsi adfixis, quarum altera Episcopum ipsum genuflexum exhibet, altera vero

---

Scriniariorum, vel potius *Primiscriniarium* (ut putamus legendum), ex hac charta liquet, qui scilicet alios Clericos in scribendis Actis adiutores haberet.

latinam habet inscriptionem, suam erga B. Virginem devotionem testari voluit. Inscriptionem ipsam ad imam paginae oram damus (*).

Diximus divina virtute, et ex intercessione SS. Virginis hac in Ecclesia invocatae plura patrata miracula, nec his testimonia desunt. De ipsis enim in primis testatus est Innocentius VIII, cuius in Bulla anno *MCCCCLXXXV.* data, quae incipit = *Super aethereas sublimata virtutes* et quae a Bovio recitatur, haec sunt verba = *propter innumera miracula, quae eiusdem meritis et intercessione singulis ad eam recurrentibus, et ipsius patrocinium implorantibus, Altissimus operatus est, et operatur in dies ex diversis mundi partibus populi multitudo confluit* = En habes *innumera miracula*, et non e finitimis regionibus tantum, sed et *ex diversis mundi partibus populum confluentem.*

Nec temporibus Innocentii tantum data hac in Ecclesia miraculorum gratia, quin et posterioribus quoque saeculis aucta. Illorum multa, et praecipua, inter quae defuncti unius et alterius in vitam restitutio, ab Illustr. Bovio, et a F. Seraphino a Montorio recitantur. In Episcopalis quoque Curiae Archivo exstant Acta a nobis olim, cum piissimi Episcopi Ianuarii Antonucii vices ageremus lecta, insignium sanationum, invocato nostra in Ecclesia SS. Virginis patrocinio, factarum eiusdem Bovii aetate, qui auditis testibus, exquisitisque sententiis sacrae Theologiae, et Medicinae quoque doctorum, sanationes illas supra naturae vires, divina vi et potentia factas declaravit. Quae olim testante Episcopo Sarnellio lignea statua Raimundi de Ursinis Ducis Gravinae insignis sana-

(*) RECIPE BEATISSIMA VIRGO
VERI DEI ATQVE HOMINIS PARENS
INSTAVRATIONEM ET ORNATVM
HVIVS TVAE VENERANDAE IMAGINIS
A SERVO TVO LICET INDIGNO
ALEXIO CELADENO LACEDEMONIO
EPISCOPO MALPHITAE

tionis ope B. Virginis obtentae, testis quoque quam locuples erat.

In longum vero tractatio nostra protenderetur, si omnia, et fortasse memoratu digna, quae ad Ecclesiae huius Historiam pertinere videntur, hic colligere placeret. Haud porro licebit silentio praeterire sepulcrum Domini nostri Iesu Christi, quod ad imaginem eius, quod Hierosolymis est, in Hypogaeo coli nostrae Ecclesiae. Nobilis vir Franciscus Lepore, qui bis ad sacra Hierosolymitana Loca peregrinationem susceperat, et quidem *LXII* lapidibus inde transvectis (1) circa annum MD construi curavit, et nunc quoque exstat. De hoc etiam Sepulcro aliqua scripsit idem Episcopus Sarnellius (2). Non equidem inficiabimur diverso caeli aspectu, quo Hierosolymitanum, hoc nostrum situm esse sepulcrum, sic maris vicinia cogente. Hinc, cum Hierosolymis sepulcri ingressus Orientem respiciat, in nostro contra ad occidentem patet. Hac ex inversione factum, ut in nostro, contra quam in Hierosolymitano, mensula, supra quam corpus Domini positum fuit, ad sinistram introeuntium assurgat. Servatum vero illud est in nostro, ut caput Christi

---

(1) Ne quis concivem nostrum quod lapides ad construendam Sepulcri Salvatoris nostri imaginem Hierosolyma Melphictum transtulerit, de falsa, et inani pietate, vel ut maligne quidam loqui amant, superstitione insimulet, is sciat vel floridioribus Ecclesiae temporibus quiddam simile a viris piis usitatum. S. Augustinus namque lib. XXII de Civ. Dei Cap. 8. §. 7. aliqua narrat = *de terra sancta de Ierosolymis allata ubi sepultus Christus die tertio resurrexit.* Deinde haec S. Episcopus subiungit = *Vir Tribunitius Hesperius a me et Maximino Sytinensis Ecclesiae Episcopo .... petivit, ut* terra illa *infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda, quae Dei sunt, congregari. Non restitimus. Factum est. Erat ibi iuvenis paraliticus rusticanus; hoc audito petivit a parentibus suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus, oravit, atque inde continuo pedibus suis salvus abscessit.*

(2) Lettere Ecclesiastiche.

ad occidentem versum sit, pedes vero ad Orientem: ceterum nostrum istud perfectam Hierosolymitani Sepulcri imaginem refert.

Qui plura de hac tam celebri Ecclesia, quae saeculorum iniuriam, et repetitas direptiones, depraedationesque Turcarum vicit, scire voluerit, is supra laudatos Scriptores legat, consulatque item, si placuerit Acta visitationis praedictae Ecclesiae ab Ill.mo Sarnellio peractae, quae in Archivo Episcopalis Curiae servantur. Publici tamen iuris faciendum existimamus Epitaphium versibus sane elegantibus suavibusque ab Ill.mo Bovio positum super tumulum Servi Dei nomine *Natalis Clementis*, quod legitur in pavimento ante fores Cappellae, ut vocant, B. Virginis, estque ut sequitur:

Qui tibi in hac sacra Natalis serviit aede
Nocte dieque tuis totus in obsequiis (1)
Quam coluit vivens, ipsa nec morte reliquit
Et iacet ante tuas Virgo beata fores.
Id voluit moriens, ne dedignare precamur
Sede ut in optata molliter ossa cubent.
Hoc sancti mores animi candorque fidesque
Hoc meruit pietas, angelicusque pudor.

---

(1) Ea erat quondam erga SS. Dei Matrem pietas eiusque sacram Imaginem hac in Ecclesia servatam civium nostrorum devotio, ut plures ipsius Ecclesiae servitio se omnino addictos mancipatosque vellent; idque apud publica Notariorum acta, quae plurima antiquis in Schedis legimus, sollemniter insinuarent.

*

EXIMIÆ INNOCENTIÆ, ET PIETATIS VIRO
DEI SERVO NATALI CLEMENTI
F. IOANNES ANTONIVS BOVIO NOVARIENSIS
EX ORDINE CARMELITARVM
EPISCOPUS MELPHICTEN.
HVMILIS PECCATOR
VIXIT ANN. LI DIES XXXV
OBIIT DIE IV FEB. MDCXV.

Cum vero de *S. Mariae de Martyribus* Ecclesia agamus, Patriae nostrae historiae particulam, quae omnino *Lombardo* nostro ignota fuit, ex *Dominico de Gravina* exscribere iuvabit. Calamitosa certe res fuit, sed quae homines doceat factionibus abstinere. Huius Dominici Chronicon de rebus in Apulia gestis ab anno *MCCCXXXIII* ad annum *MCCCL* edidit primum Cl. Muratorius, et ex eo recudi curavit Neapoli amicissimus olim, *Alexius Aurelius Pelliccia* (Chron. Regni Neap. T. III.). Cum narrasset Dominicus a *Ludovico Tarentino* sic dicto et Regina *Ioanna* Vigilias, Melphictum, et Iuvenacium donata fuisse *Palatino Altamurae* (sic enim appellabatur); cumque Civitates istae Regis Unghariae partibus addictae, *Palatini imperium* haud ferrent, hic aperta vi earum potiri adnisus est. Haec quae sequuntur de Melphicto habet = Ceperat autem diebus proximis ante praeteritis Palatinus idem Civitatem Melphictae modo subscripto. Videlicet quod per stipendiarios suos continue (nam Vigiliis potitus illic morabatur) guerram faciebat contra homines Melphictenses. Et uno die fecit contra eos insultum asperrimum modica gente quasi usque prope moenia dictae Terrae. Homines vero Civitatis Melphictae videntes usque moenia per aemulos infestari animaverunt se unanimiter contra illos aemulos viriliter irruere, et potenter, et insequuti fuerunt aemulos illos usque prope Sanctam Mariam de Martyribus longe forte a Civitate Melphictae per milliaria unum, vel circa. Constituerat autem idem Palatinus gentem suam relinqui reconditam in

quodam loco abscondito post Civitatem Melphictae. Et ut viderunt gentem Civitatis Melphictae persequi prompto corde socios suos, longeque esse a Civitate Melphictae spatio praedicto, diversis viis post terga Melphictensium cursu velocissimo ferierunt. Ne sciverunt praevidere Melphictenses eorum insidias praeparatas. Et sic Stipendiarii, qui praecedebant et qui sequebantur in uno concursu super Melphictenses promtissime ferierunt, et ceperunt de viris Melphictensibus viros centum et ultra. Inter quos esse contigit meliores, quos apud Vigilias carcerandos portavit, eosque tenuit, quousque universi cives reddiderunt Civitatem Melphictae dominio Palatini. Quam Civitatem, deficiente eis auxilio Hungarorum, quorum fidelitati se dederant, restituerunt, et se ipsos dominio Palatini.

Bulla Innocentii Pp. VIII.

Innocentius Episcopus servus Servorum Dei, Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem. Super aethereas sublimata virtutes, et caelestium spirituum Choros incomparabilis Virginum exaltata inclita Regina Caelorum Dei Genitrix Gloriosa, cuius humilitatem ab aeterno respiciens, pro reconcilianda suo Auctori generis humani natura, lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, cum sui Unigeniti habitaculum, sancti Spiritus praeparatione constituit, ex qua tamen nostrae mortalitatis permaneret; tanto quidem super omnes creaturas maiori veneratione a cunctis debet fidelibus honorari, et sancti Dei templa in ipsius honorem dedicata, Indulgentiarum decorari muneribus, quanta ipsa misericordiae Mater Angelorum Domina, Militantis Ecclesiae, et totius saeculi Advocata, veluti terrenae potentiae Gubernatrix, et cunctorum in quacumque pressura refugium, inter omnes benedicta mulieres maioribus meritis, et benedictionis gratia insignita exsistit; et per eam humano generi aeterna salus apparuit. Cupientes itaque Ecclesiam Beatae Mariae de Martyribus in honorem eiusdem Beatissimae Virginis extra muros Melphicten. fundatam, Ecclesiae Melphictensi, olim dum minori fungeremur officio sponsae nostrae unitam,

et ad quam, sicut fide dignorum habet assertio, propter innumera miracula, quae eiusdem meritis, et intercessione singulis ad eam devote, recurrentibus, et ipsius patrocinium cum humilitate implorantibus, Altissimus operatus est hactenus, et operatur in dies, ex diversis mundi partibus Populi multitudo confluit, quemadmodum par est congruis honoribus frequentari, et ut fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, et pro reparatione, et conservatione ipsius Ecclesiae, ac illius ornamentis, quae superioribus annis a perfidissimis Turcis, gravi iactura, ac maximo damno, ac detrimento tam in aedificiis quam in caeteris rebus affecta est, manus promtius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono caelestis gratiae uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatiss. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus, et confessis, qui in singulis octavae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, et Nativitatis eiusdem Gloriosae Virginis festivitatum diebus a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive festivitatum earumdem, Ecclesiam ipsam B. M. de Martyribus devote visitaverint, et ipsius fabricae instaurationi, et conservationi, et ornamentis praedictis, sive alias iuxta eorum arbitrium manus porrexerint adiutrices Plenariam omnium peccatorum suorum remissionem concedimus pariter, et largimur, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Domini millesimo quadrigentesimo octuagesimo quinto Kalendis Iunii. Pontificatus nostri anno primo. = A. Urbino = P. Tuba. = Regist. apud me S. Grif. subiungens tale donum, thesarum, et Bullam sic dictae Ecclesiae concessa pro salute Animarum divulgari facere per totum Regnum et extra. (*)

(*) Quod Bonum Faustum Felixque sit. Huic, de qua hucusque egimus, Ecclesiae novum accedet decus, nova gloria; populique nostri erga SS. Virginem pietas restaurabitur providentia Optimi Episcopi PHILIPPI IUDICE CARACCIOLO. Fratres Minores S. Francisci e Reformatorum coetu illi Ecclesiae Conventum qui iam assurgit, adhaerentem habebunt, et locum divinae benevolentiae, et misericordiae testem, quotidianis Dei laudibus honestabunt.

DE MELPHICTENSIBUS EPISCOPIS.

Quo primum tempore Melphictensis Ecclesia Episcopali fuerit ornata Throno, haud facile erit statuere, quin et nec facile inquirere. Nec id tantum de Melphictensi Ecclesia, sed et de aliis quoque per Apuliam, et Iapygiam dicendum, cum earum monumenta deperdita sint. Nec vero quosdam imitari placet, qui, quae ad alias, easque etiam longe dissitas pertinebant monumenta, ad Ecclesias, quarum scribebant historias, iis velificari cupientes, et nominum fortasse similitudine decepti, transtulerunt (1). Illud pro comperto tamen haberi poterit aliquas saltem ex nostris Ecclesiis a Petro ipso, alias a proximis Petri successoribus Episcopos habuisse, aliquas demum antiquis destructis urbibus veluti translatis sedibus Episcopales Sedes accepisse. Nec illud quoque sperandum, ut series continua Episcoporum cuiusvis sedis haberi possit, cum sedes ipsae vel antiquissimae temporum, bellorumque calamitatibus nunc una simul unitae, nunc denuo disiunctae, quaedam etiam veluti extinctae, postea restitutae, et quandoque sedes plures in unam veluti conflatae. Ea enim erat Ecclesiarum nostrarum medio et infimo aevo miseranda facies (2).

---

(1) Videndus omnino Doctiss. Neritonensis Fimianus *De ortu et progressu Metrop.* Diatr. I. par. 2. Cap. IV.

(2) Sic anno *DCCCCII* legimus *Ioannem* Episcopum sedis *Canusinae*, et *Brundusinae*. In Diplomate quoque *Gregorii Trachaniotae* an. *DCCCCXCIX* apud Assemannum *Chrisostomus* dicitur Archiepiscopus *Castri Barii et Trani*. Anno *MLX* Eustachius habetur Episcopus *Brundusinus*, et *Uritanus*. Denique in Diplomate *Calocyris* an. *DCCCCLXXXIII Rhodostano* Tranensi Episcopo subiecta adfirmantur castra *Gybennazani*, *Rubi*, *Minervini et Montemilonis*. Ex quo illud argui posse visum Cl. *Fimiano* haec castra aut nondum Episcopos accepisse, aut certe Episcopis tunc caruisse, quod ultimum nos verum putamus. Ceterum cum

Ne igitur aquam fodere videamur, Episcoporum Melphictensium seriem a saeculo *XI* incipientes dabimus. Quod si extarent, quae multa de Episcopis iisdem summa diligentia, et labore collegerat Vir eruditissimus, Patriaeque et nostri olim amantissimus Cyrus Xaverius Minervinius, nihil omnino reliquum nobis fuisset. Attamen cum optimae spei Adolescens, litterisque, scientiisque abunde excultus *Petrus Filiolius* amicitiae caussa nobis commodasset *Lombardi* Historiam adnotationibus aliquot ad margines manu *Minervinii* scriptis, ex iis multa excerpsimus; idque vel libenter fatemur, ut Viro praeclarissimo debitus tribuatur honor.

Qui primus in Melphictensium Antistitum serie scribitur Episcopus a *Damiano*, et qui eum secutus est, Lombardo, est *Balduinus* nomine, Ughellio, ut dicunt, ignotus, et qui dedicationi Ecclesiae S. Benedicti in Monte Casino ab *Alexandro* II an. *MLXXI* interfuit, Ipsa tamen compellit nos veritas fateri non illum *Melphictensem*, sed certe *Melphiensem* fuisse Episcopum. Suum igitur Episcopum *Melphia* habeat. Quod si ab Episcoporum Melphictensium indice radendus *Balduinus*, subrogare licebit utique alium Episcopum nostris ignotum scriptoribus, et quidem Balduino antiquiorem, *Ioannem* scilicet huius nominis I. Hic, qui Metropolitanae Barensis Ecclesiae Tabularii fide tantum primum nobis innotuerat, plena fuit luce positus fortuita lectione *Epistolae* a Cl. *Dominico Tata* Italice scriptae (Del Monte Volture Neap. Simonianis typis impressae an. *MDCCLXXVIII.*). Bullam ibi legimus, quam in Barensi Archivo servari adfirmat, et cuius exemplum a doctissimo, tunc temporis Barensis Ecclesiae Canonico, deinde *Uritano* Episcopo *Alexandro Kalephato* accepisse fatetur. Bulla haec (quam ad calcem integram dabimus) testimonium reddit consecrationis *Ioannis* in Melphictensem Episcopum a *Nicolao Archiepiscopo Canusinae Ecclesiae*

---

de Melphicto silentium, eoque inter Tranum, et Iuvenacium media urbs sit, tuto adfirmari poterit, Melphictum tunc temporis suum habuisse Episcopum,

et has habet tantum Chronologicas notas = *Mense Augusto V. Indict. Pontificatus Nostri An. II.* = Cum vero a Doctissimo *Mabillonio* (An. Benedict. MXXIX) eiusdem *Nicolai* Archiepiscopi alia, seu Bulla seu Diploma his fuerit vulgata notis = *Anno VI Michaëlis Constantinopolitani III. Anno praesulatus mense octobri Indict. VII*, cumque huiusmodi Notae, an. *MXXXIX* indicent, profecto liquet anno *MXXXVII Ioannem* nostrum consecrationis munus accepisse. Ex errore autem, ut ex nominum similitudine pluries factum est. Cl. Tata *Melphiensi* Ecclesiae hunc Episcopum adtribuit. Quamvis enim *Clericorum ordini et Plebi consistenti in Melphiatana Civitate* (sic Tata edidit) *dilectis filiis* scripta dicatur Bulla; et quamvis in corpore, ut aiunt, eius *Melfi.* simpliciter legatur, haud ille vidit in *Melphictana Civitate* primum esse scriptum, et deinde per compendium *Melfi.* breviatum. Sane in Diplomate, quo, anno *MXXV Ioannes XX* sive *XIX* huius nominis Romanus Pontifex *Bisantium* S. Canusinae Ecclesiae Episcopum consecratum ornavit, inter suffraganeas Ecclesias, quarum Episcopos ei consecrare datum, nulla omnino *Melphiae* mentio legitur, sed certe *Melphicti.* An vero existimabimus *Nicolaum* S. Apostolicae Sedi addictissimum, et hac de caussa *Michaeli Caerulario* infensum, et inde anno *MLV* Constantinopolim deportatum, Metropoleos suae fines excessisse, et *Melphiae* Episcopum contra fas consecrare voluisse annis vix *XII* a Pontificis Bulla transactis? Pro comperto igitur habendum erit *Ioannem*, qui nobis huius nominis I, *Melphictensem* non vero *Melphiensem* Sedem tenuisse. Hac vero de re gratissimum nobis est eximii Neritonensis Episcopi *Fimiani* in *V* Patriarchatuum Notitiam adnotationem hic adferre (1) » Petrus Iannonius (Hist. Civ. Regni Neap. » lib. VIII. cap. 6.) Melphianam Sedem Barensi olim subiectam fuisse » tradit, eamque postea Romano Metropolitae contributam. Nae is *Mel-* » *phim* cum *Melphicta* seu *Molfecta* confudit. Melphicta enim Barensi

(1) De Ortu et Progressu Metropol. Diatr. I. Par. III. Cap. III.

» Archiepiscopo olim paruit, deinde ab illo exemta, Romanoque addi-
» cta est. In vetustis *Notitiis* numquam *Melphiensis* sed *Melphictensis*
» inter suffraganeas Barensis Antistitis refertur. Ipse Iannonius sibi non
» constat; nam supra de principatu Salernitano loquens inter suffraga-
» neas Salernitani Archiepiscopi *Melphiensem* enumerat = Quod si, ut Ughellius docuit et ex eo Pagius in Ann. Bar. An. *MLIX* in Concilio *Melphiae* a Nicolao II. celebrato haec demum Civitas Episcopali sede aucta, eo magis confirmabitur, *Ioannem* an. *MXXXVII* consecratum Episcopum non certe *Melphiensem*, sed *Melphictensem*. Non vero statim ut *Melphiensis* erecta Sedes Romano Metropolitae fuit tributa. In Bulla enim ab Urbano II anno *MLXXXIX* Eliae Barensi Archiepiscopo data, et quam Baronius refert, *Melphis* quoque inter Ecclesias Barensi Metropolitae subiectas legitur, ita ut non omnino falsum narrasse Iannonius dicendus foret, qui quandoque *Melphictensem* Ecclesiam Barensi Metropolitae subiectam adfirmavit; quamvis per tempus id fuerit brevissimum; cum in *Notitiis* una et altera Patriarchatuum nuspiam *Melphia* legatur. Sed de hoc hactenus.

Eorum, qui *Ioanni I* successerunt Episcopi prorsus desunt monumenta, et continuo ad medietatem saeculi *XII* descendendum. Occurrit hoc tempore *Ioannes II*, de quo hoc breviter diligentissimus Ughel-
» lius = *Ioannes* Episcopus Melphictensis inter Episcopos Provinciae
» subscriptus legitur in Concilio Lateranensi ab Alexandro III congrega-
» to, anno MCLXXIX = Ad haec vero Cl. Lucentius adnotavit. =

» *Ioannem* Malphitanum Episcopum una cum Tusculano, et Fe-
» rentino nefaria consecratione in Pontificem inaugurasse Pseudo-Victo-
» rem ex antiquo Codice Vaticano recenset Baronius anno MCLIX. Hunc
» fuisse *Ioannem* Amalhpitanum, nostra opinio est. Ille sane, qui in
» Amalphitanum Thronum intrusus ab Antipapa Anacleto postea de-
» iectus ab Innocentio II huc illuc vagari coactus fuit. Hinc talis *Ioan-*
» *nes* in citato Codice profugus fuisse dicitur tunc in partibus An-
» conae; nec ulla suspicandi caussa datur de *Ioanne Melphictensi*,

» cum facile per ea tempora *Amalphitani* saepius nuncupati *Melphitani* » cum *Melphitano*, seu *Melphitensi* confunderentur nomine = Quam verissima sane, quae de *Amalphiae*, *Melfiae*, et *Melphicti* nominum confusione dixit Lucentius, et confusio istiusmodi plurium fuit caussa errorum. Optaremus utique maculam istam *nefariae consecrationis* Melphictensi nostro Episcopo avertere, sed veritatis, quam profitemur, amor in alia omnia ire nos urget.

Notum est Hadriano *IV* Pontifice vita functo, et *Alexandro* III rite electo contra insurrexisse Octavianum Tituli S. Caeciliae Cardinalem, qui Friderici imperatoris patrocinio fretus, et *Victoris* nomine assumto consecrationem ab Episcopis Tusculano, Ferentino, et *Melphitano* ut Baronius legit *Melphiensi* ut Balutius, *Melphitano* ut Pagius, suscepisse. His ex variis lectionibus ambiguum erit utrum *Amalphiae*, an vero *Melphicti*, (non enim certe *Melphii*) Episcopus is fuerit. Cum vero Amalphitana Ecclesia in Metropolim vel ab anno DCCCLXXXXVI fuerit erecta, docente in primis Clariss. Fimiano (1), non *Episcopi* nomine Amalphitanus, sed Archiepiscopi appellandus erat. Quod vero Lucentius addit de *Ioanne Amalphitano*, istum scilicet a Pseudo-Papa Anacleto Amalphitanam in Sedem intrusum, et ab Innocentio II exauctoratum contra illius sententiam potius facit. Id enim certe Ioanni exprobratum fuisset, quod nullo legitur factum modo. Sequitur Lucentius *nullam suspicandi caussam dari de Ioanne Melphictensi*, dicens. Immo vero valde probabilis, ut nobis videtur.

Cum Guillelmus huius nominis I Rex anno *MCLXII* Ecclesiam Nosocomio pro Cruce-signatis prope Melphictum adiungi, eamque super eorum sepulcra aedificari iussisset, in Instrumento ea de re confecto (quod supra pag. 182. protulimus) legitur *Rubensem* Episcopum Ecclesiae lapidem posuisse auspicalem adsistentibus Archidiacono, Archipresbytero, et duo-

---

(1) De Ortu, et Progressu Metropol. Diatriba *I* Cap. *II* pag. *CXXX*.

bus Primiceriis Melphictensis Ecclesiae = *Eo quod noster Episcopus absens extra regnum erat* = Ex hoc tantum facile coniicere erit illum ipsum Episcopum fuisse, qui *fugitivus in partibus Anconae latitans erat*, ut ex Actis Alexandri III apud Baronium habetur. Laudandi certe Melphictensis Ecclesiae, et Cleri Primores, qui Episcopi sui modestis tegere verbis famam, honoremque voluerunt.

Hic merito deinde inquirendum venit, utrum qui Lateranensi Concilio an. *MCLXXIX* Pontificatus Alexandri III an. XX interfuit *Melphictensis* fuerit, ut Ughellio visum, an vero *Melphiensis* Episcopus. Quod si *Melphictensis* utrum ille ipse *Ioannes* sacrilegae consecrationis Pseudo *Victoris* particeps, an vero alius, licet eiusdem nominis ab illo. Vix autem dubitare licebit, quin *Melphictensis* Episcopus fuerit, loco ipso subscriptionis suadente, cum eius nomen inter Episcopos Barensis Provinciae legatur. Accedit et illud, in aliquibus Codicibus legi *Melfictensis* vel etiam *Molfettensis*. Ex eo quoque idem confirmari poterit, quod *Melphiensis* Episcopi nomen ultimo loco legatur inter Episcopos Romanae Provinciae; sic *Rodulphus Melfiensis S. Marcii.* Emendandus ergo Ughellius, qui *Ioannem* nostrum inter Romanae Provinciae Episcopos se subscripsisse adfirmat, cum tardius, ab Innocentio VIII scilicet Romanae Provinciae Melphictensis Sedes tributa fuerit. An autem unus idemque fuerit *Ioannes* et qui Victorem consecravit, et qui Concilio subscripsit, omnino definire difficile erit. Certe Minervinius noster adnotavit in Cavensis Monasterii Chartis *Ioannis* Melphictensis memoriam fieri annis *MCXXXVI*, *MCLXXIII* et *MCLXXX.* Non satis utique probabile videtur unum Ioannem per annos *XLIV*, et quod excurrit Episcopatum tenuisse. Quod si idem ipse fuerit, dicendum erit, abiurato prius ex praescripta formula schismate, receptum deinde fuisse in Concilium, ut de aliis similiter receptis schismaticis eiusdem Concilii testatur Historia. Quam verosimile autem est exauctoratum ab Alexandro Ioannem II, eique suffectum Ioannem alterum, qui proinde in serie erit III huius nominis.

Post Ioannem II vel III ponendus videtur *Rogerius*, quem monente amicissimo Viro *Iosepho Addozio*, indicatum legimus a Cl. Episcopo Sarnellio (Cronologia de' Vescovi, ed Arcivescovi Sipontini pag. 181). Huic *Rogerio* una cum *Barensi Archiepiscopo*, et *Troiano Episcopo anno MCLXXXV* ab *Urbano III* mandata testium audientia fuit in ea, quae tunc lis erat acris Sipontinos Canonicos inter et Garganicos. Similia et pro eadem caussa mandata dedit *Innocentius* III Episcopis *Melphictensi* et *Vigiliensi*, ne grave fieret litigantibus dispendium. Unde nomen *Melphictensis* Episcopi Cl. Sarnellius hauserit, ignorare fatemur. Quamvis vero dubium moveri possit utrum *Melphii* an *Melphicti Rogerius* fuerit Episcopus, de quo scribimus, expresse tamen *Sarnellius*, cuius docti viri, et qui plura percontatus fuerat Tabularia et plura legerat monumenta, auctoritati refragari temerarium pene esset. Quod si addatur non *Rogerium* illis temporibus *Melphii* sedisse sed vel *Rodulphum* vel etiam eius successorem Guillelmum, omnis profecto dubietas evanescet. Porro *Rogerium* ante annum *MCCII* obiisse ex eo liquet quod in Bulla praedicti Pontificis *Innocentii* eo anno data *bonae memoriae* dicitur.

Rogerio proximus, ut videtur *Melphictensi* Ecclesiae, praefuit *Accarinus*. Huius subscriptionem legi sic *Acc*. in Constitutione quadam Dapherii Barensis Archiepiscopi, cuius exemplum a praelaudato Uritano Episcopo acceperat, testatur Minervinius noster, addens aliis in Chartis, quas ipse collegerat, manifeste *Accarinum* legi. Et hic certe fuit, cui Ughellio, Lucentio et Lombardo ignoto nomine, anno *MCCVII* cum aliis Provinciae Episcopis, consecrandi in Barensem Archiepiscopum *Berardum A Costa* Innocentius III dedit mandatum (*).

Quo anno *Accarinus* obierit, incertum est, ut et qui Melphictensi in sede proximus successerit. Exploratum tamen est anno

(*) Chartam anni MCCXIV ad *Accarinum* pertinentem dabimus in II Par.

MCCXXIV. eam tenuisse *Risandum* nomine, qui ex male exscripto eius sepulcri lapide *Riccardus* a Damiano, Lombardo, Ughellio, quem secuti sunt etiam Bollandiani, fuit dictus. *Risandus* legitur et in sepulcrali eius Lapide, qui et hodie etiam in veteri nostra Cathedrali exstat, cuius emendatam inscriptionem ima in pagina exhibemus (1), necnon et in Lapide superliminari Ecclesiae S. Severini in Urbe S. Severi, Dauniae Provinciae, et denique in Diplomate Membranaceo, quod in Archivo eiusdem Ecclesiae S. Severini servatur, quodque etiam in ora paginae damus (2).

---

(1) VIRGINIS INGENTIS A TEMPORE MILLE DVCENTIS
ANNIS VNDENIS QVOQVE LVSTRIS POST DVODENIS
CVM SVA NATVRE COMMVNI DEBITO IVRE
SOLVIT RISANDVS ANTISTES VIR VENERANDVS
ORET QVISQVE LEGIT QVIA NIL CRVDELE PEREGIT
UT SACRA VIRGO DEI CRIMINA PARCET EI
QVINTO DIE INTRANTE MENS. AVG. MORTVVS EST REV. EPISCOPVS
PETRVS IN HAC PETRA CONDIDIT ISTA METRA

(2) Risandus Dei gratia humilis Melphictensis Episcopus in vero Salutari salutem. Quia pium est meritorium sacris Dei Ecclesiis in quibus Sacramenta pro salute populi celebrantur et Patri Filius per ministerium fidelium iugiter immolatur de bonis temporalibus providere. Omnibus Christianis qui Ecclesiae B. Severini de Sancto Severo noviter consecrate manum misericordie de facultatibus sibi concessis a Deo in presenti porrexerint, de residuo penitentie iniuncte sibi canonice quam in presenti paupertate depressi, egritudine pregravati et morte preventi complere non poterunt quadraginta dies criminalium misericorditer relaxamus. Scriptum apud S. Severum Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimoquarto Mense maii duodecime indictionis = Vides prudens lector saeculo XIII. nostris in regionibus nondum omnino poenitentiae Canonicae usum obsolevisse. Monumentum hoc nuper a doctissimo, et quem honoris caussa nominamus, Archiepiscopo Damasceno Ioanne Camillo Rossi sua in Severopolitana Synodo vulgatum rescivimus.

Hic scilicet noster Episcopus S. Severini praedictam Ecclesiam sollemni consecravit ritu anno *MCCXXIV*, et *Indulgentiam* de more concessit. Quibus ex documentis plane liquet *Risandum* per *XLVII* saltem annos in Melphictensi Cathedra sedisse, a praedicto scilicet anno ad MCCLXXI, quo denique fato cessit extremo. Deinde et illud sequitur omnino explodenda esse quae *Lombardus* narrat de quodam *Gregorio Leontino*, quem *Ughellio* ignotum ab Innocentio III anno *MCCLII.* ad Melphictensem regendam Ecclesiam electum scribit; ni forte quis suspicari velit falso ex rumore mortis *Risandi* ab Innocentio *Gregorium* Melphictensem designatum Episcopum.

Huic quoque *Risando* simul et *Melphiensi*, et *Venusino* Episcopis *Gregorius* IX. mandavit, ut de sanctitate vitae et miraculis *B. Beneventuti* Ordinis Minorum, qui vitam *Corneti* ad diem XXVII. Iunii clauserat, diligenter inquirerent. Pontificium hac de re Breve recitat Wadingus, et ex eo Bollandiani. Hi viri doctissimi *Risandum* (quem communi ex errore *Riccardum* nominant) fortasse fuisse, cui datum mandatum, suspicati sunt: sic enim scripserunt = « Post Ioannem indicatum pro an-
» no *MCLXXVIII.* (*Accarinus* utique illis ignotus fuit) haud dubie
» sederunt ignoti nobis plures ante Riccardum integro pene saeculo post
« defuncto, qui tamen huic examini potuit dedisse operam, si ultra
» 30 annos Ecclesiam istam rexit ⊨ » Verum non per 30 tantum, sed et per 47 saltem Melphictensi in Cathedra sedisse, supra probavimus. Ex hac Risandi missione fortasse derivata fuit Melphictensium erga B. Beneventum devotio, cum ex *Antonii Caracioli* schedis Bollandiani referant, duas Melphictenses mulieres *Atam* nomine unam, *Amelinam* alteram utramque de *Melfica* (sic) ope B. sanatas. Huic denique *Risando* mandavit *Gregorius IX.* ut una cum Rubensi Episcopo testes examinarent contra Acheruntinum Archiepiscopum *de Simonia conclamatum*, ut ex Decr. De Testibus, et Testimoniis Cap. 53 habetur, quamvis *Lucentius* ignoto nostro Episcopo id mandatum scripserit.

Petrus et, ut videtur, ille ipse qui antecessori suo epitaphium po-

suit, Risando successit. Hunc quoque a Minervinio indicatum eius diligentiae nos adscribere non piget. Sane in *Transumto*, ut aiunt, Privilegiorum Barensis Ecclesiae die *XVIII.* Octobris an. *MCCLXXII.* sollemniter publica etiam notarii auctoritate accedente, scripto, inter ceteros quamplures Episcopos, sic legitur subscripsisse Petrus noster. = Petrus *Molfitensis electus quia interfui subscripsi* = (1).

Angelus I. qui sequitur Episcopus diligentiae quoque Minervinii nostri debetur, eius mentionem fieri dicit in Epistola Nicolai *IV.* G. Sabinensi Episcopo data anno *MCCLXXXIX*, quae in Vaticano Archivo servatur, Eius pariter *Angeli* memoriam fieri adfirmat in Chartis Cavensis Monasterii anno *MCCLXXXII*, *MCCXXXXVII*, et in hac ultima *Angelum Saracenum* appellari.

F. Paullus ex Ordine Minorum notus Ughellio, et Historiographis nostris a Cardinalibus Thoma tit. S. Marcelli, et Petro S. Eustachii ex S. Caelestini V. delegatione electus, fuit deinde a Bonifacio VIII. anno *MCCXCV.* confirmatus. Huius Episcopi in Charta Monasterii Cavensis anno *MCCCIII.* et in altero Tranensi anno *MCCCVII.* mentionem fieri adfirmat Minervinius.

Paschalem de Penna creatum referunt anno MCCCXVI. Tabulae Melphictenses. Ita Ughellius, nec aliquod addendum habemus.

Iacobus I. ex Barensi Provinciali Concilio occasione dedicationis Ecclesiae *S.* Catharinae Barii a Landulpho Archiepiscopo habito die XV. Augusti anno *MCCCXI* innotescit, quamvis et Damiano, et Ughellio ignotus. Eius notitia *Lombardo* debetur, qui inquirit utrum *Iacobus* iste,

---

(1) Scriptum hoc ex parte vulgavit auctor insignis operis: *Il Collegio Mabillonano sostenuto nelle sue vere regole diplomatiche* = scilicet D. Petrus Maria Rosinius ex Olivetanorum familia, doctissimus quidem vir, et piissimus, cuius memoria nostro erit aeterna in pectore; nos enim, cum ille viveret, et nos Neapoli essemus, plurimo prosecutus est amore, et benevolentia,

idem ipse sit ac eiusdem nominis *Iacobus*, quem anno *MCCCXXXV*, Melphictensem tenuisse Thronum Damianus et Ughellius scribunt. Litem omnem, nostra sententia, dirimit Cl. *Mandosius* in *Auctariis* ad Ughellium, qui docet anno MCCCXXXV. *Alexandrum* ex domo *Fassitelli* de S. *Elpidio* Ord. Eremitarum S. Augustini ad Melphictensem Sedem evectum fuisse. Sit itaque

Alexander S. Augustini Eremitarum *Fassitelli* creatus Episcopus anno MCCCXXXV, et qui paucos post menses diem clausit eodem anno extremum.

Iacobus. II. igitur post *Alexandrum* Melphictensem conscendisse Sedem omnino dicendus. Hic est de quo Lucentius scribit, ipsum *Episcopum Aversanum electum anno MCCCXXXV.* (*melius MCCCXXXVI.*, *quo ea Ecclesia vacabat*). *Nulla tamen in illa serie eius mentio est.*

Leo. Hic anno *MCCCXLIV.* electus e Schedis Melphictensis Ecclesiae noscitur. Hunc non Leonem, sed Bisantium Leonis filium, et quidem e *Grassiorum* praeclara gente nominandum esse monuit monumentorum mediae, et infimae antiquitatis diligens conquisitor, nobisque amicissimus Iosephus Addozius, cuius in loculis membrana est, qua cuiusdam oliveti venditio facta dicitur *Andreae Amerusio ab Antonella Grassi nepte Rev. in Christo Patris et Domini Bisantii dom.*[ni] *Leonis Grassi Melphictensis Episcopi.*

Nicolaus = *A nobis eruitur ex Archivo huius Ecclesiae. Anno siquidem MCCCLXXV. Pontificias suas litteras expedivit in collatione Ecclesiastici Beneficii.* Haec Lucentius.

Simon Alopa, cuius insignia in exteriori fronte Ecclesiae S. Mariae de Martyribus etiam hodie conspiciuntur. Hoc Episcopo Melphictensem regente Ecclesiam, Dignitatum et Canonicorum numerus, qui incertus vagabatur, immo plurimum excreverat, ad XXIV. redactus fuit, eaque de re publicum fuit conceptum scriptum Notarii et Iudicis auctoritate interveniente. Istud notis auctum, Deo favente, in secunda Parte dabimus. Ad sedem Puteolanam fuit ann. *MCDI.* translatus, eique suffectus anno eodem.

Ioannes Brancia Canonicus Amalphitanus. Eius sepulcrum est in antiqua Cathedrali hac brevi sculpta inscriptione:

HIC IACET EPISCOPUS IOANNES DE MALFETA.

Ioannem hunc nostrum die VII. Augusti et anno fortasse MCCCCXII. vel certe ante annum MCCCCXIII. mortuum fuisse, erui posse videtur ex Testamento *Roberti Brancia* Amalphitani Archiepiscopi an. MCCCCXIII., quo cavit ut die Augusti VII. quotannis Anniversarium celebraretur pro Ioanne Germano suo Episcopo Melphictensi. (Apud Pansàm Istoria dell'antica Repubblica Amalfitana tom. 2. pag. 67.)

Petrum II. *Piccium* commemorari sufficiat ab Ughellio relatum, et qui in antiqua Cathedrali iacet, lapide ei posito brevi quoque hac inscriptione:

HIC IACET DOMINUS EPISCOPUS PETRUS PICCIUS DE BARULO.

Gentilis de Monte Petro suffectus, paucos post annos obiit eiusque sepulcrum hoc sculpto brevi epitaphio:

HIC IACET D. EPISCOPUS GENTILIS QUI OBIIT ANNO MCCCCXXXII.

Hoc Pontifice aedicula S. Catherinae veteri fuit Cathedrali adiuncta, tum et contra Suggestum sacra erecta Ara *Ciborio*, ut aiunt, sive Umbella quatuor subnixa columellis erecta. Hic adnotare placet, videri in veteri Cathedrali, Graecanicae certe Architecturae opere, et circa saeculum *X.*, ut coniicere licet, aedificata, unum tantum altare fuisse, et ineunte tandem *XIV.* saeculo aediculas, sive, ut aiunt, Cappellas, quarum prima S. Mariae ad Nives, altera quae S. Catherinae, nominibus dicatas, eidem adiunctas.

Andreas de Rocca Gentili successit anno MCDXXXIII, et per annos

XL. Ecclesiam rexit. Eo sedente, nuceis e lignis mira arte et multiplici varietate glyptico opere sculptis extructae in Cathedrali sedes, sive, ut aiunt, *Stalla*, duplici ordine; superiori scilicet Dignitatum et Canonicorum, inferiori pro ceteris de Clero. Harum Sedium aliquas, ut praeclara glypticae artis his in regionibus, infima aetate exemplaria, delineari fecit insignis nominis et doctrinae Vir *D. Millinius*, ut ipse nostras hasce peragrans Regiones Melphicto Lycium adveniens nobis, qui tunc ibi morabamur, testatus est. An vero illa aere incisa publici facta sint iuris, ut ipsi propositum erat, prorsus ignoramus.

Leonardus de Palmeriis eodem, quo Episcopus creatus, interiit anno *MCDLXXIII.* Haec Ughellius.

Ioannes Baptista Cybo Ianuensis VI. Kal. Octobr. *MCDLXXIII* eligitur, pauloque post S. R. E. Cardinalis creatur, tandem summus Ecclesiae Pontifex an. *MCDLXXXIV* renunciatus, *Innocentius VIII* dictus est: haec Ughellius. Hic Melphictensem Ecclesiam a Metropoli Barensi avulsam, Romanae Provinciae addixit. Pudet illos confutare, quibus serio placuit fronte effricta adfirmare illum *Melphiensem* fuisse Episcopum; non enim illos moramur, qui utriusque Civitatis nominum similitudine fuerunt decepti. Romae agens Vicarium sibi in Ecclesiae administratione constituit *Petrum de Recaneto* Iuvenacensem Episcopum, ut ex *Bulla Beneficiali* in Episcopalis Curiae Melphictensis Archivo servata, et a nobis lecta colligitur. Videnda, quae de hoc Pontifice in *Admonitione* ad officium Visitationis B. V., et in *De Ecclesia S. M. de Martyribus* supra scripsimus.

Angelus II de Lacertis Melphictensis ab *Innocentio* creatus obiit anno *MDVIII.* Frater hic fuit insignis ea etate nominis, Medicinae Doctoris *Antonelli de Lacertis*, de quo videndus *Toppius.*

Alexius Celadenus, sive *Caeladonius* Vir *Lacedaemonius* Graeca scilicet ortus stirpe, e *Callipolitana* sede in Salentinis ad Melphictensem translatus Lateranensi Concilio an. *MDXVII* Iulio II Pontifice interfuit, eodemque obiit anno Romae. Vir fuit doctus sermones utriusque

linguae. De hoc Episcopo aliqua in nostra *de Ecclesia S. M. de Martyribus Dissertatione* diximus.

Ferdinandus Ponzettus Domo Florentia S. R. E. Cardinalis a Leone *X* suffectus Alexio fuit an. *MDXVII.* Neque vero hic *Melphiensis*, ut doctissimus *Vettorius*, qui eum abunde laudat, scripsit (1), sed Melphictensis. Eidem Cardinali, honoris caussa ab eodem Pontifice Episcopus Nicopolitanus *F. Albertus de Natis* Suffraganeus fuit adsignatus. Ferdinandus certe ingenii et doctrinae laude praeclarus aliquos etiam ad Philosophiam pertinentes libros posteris scriptos reliquit, quorum indiculum a *Ciacconio* acceptum *Lombardus* noster exscripsit. De eo praeter *Ciacconium*, et *Nicodemum* in Additionibus ad *Toppium* videndus etiam praestantissimus Rei Litterariae Italicae Historiographus *Hieronymus Tiraboschius.* Erravit vero Cl. Ughellius, cum *Ferdinando* Melphictensem tenente Cathedram a Gallorum exercitu captam direptamque Urbem nostram fuisse tradidit. Id enim accidit anno *MDXXIX*, cum Episcopatum gerebat eius ex fratre nepos *Iacobus Ponzetti*, qui antea cum futura successione Coadiutor, ut aiunt, Patrui erat; *Ferdinandus* enim iam ab anno MDXXVII. decesserat. Illud fortasse Cl. Ughellio fucum fecit, quod in sepulcrali Inscriptione Romae *a Iacobo Melphictensi Episcopo* posita, et quam Lombardus etiam refert, legitur » *Vi-* » *curus* (Ferdinandus scilicet) *vitam CXX annorum, ni sacram dire-* » *ptionem vidisset.* = Quae verba profecto ad lamentabilem, et execrandam Romae direptionem eo ipso anno *MDXXVII* referenda sunt.

Iacobus III Ponzettus ex Fratre Cardinalis Nepos patruo successit anno *MDXXVIII*, qui postea anno MDLIII se Episcopatu abdicavit, quod bene gesserat. Miserandae Melphicti direptionis Historiam scripsit *Iosephus Marinellius* eamque, quae Mss. prius Melphictensium manibus ferebatur, ex Cavensis Monasterii Tabulario publici iuris fecit Doctis-

(1) Fiorino d'oro illustrato pag. 473.

simus Alexius Aurelius Pelliccia (Croniche del Regno di Napoli Tom. IV.)

His de quibus hactenus clarissimi nominis Episcopis proximi successores fuere doctrina etiam insignes, *Nicolaus* scilicet *Maioranus*, et eius ex fratre Nepos *Maioranus Maioranus*. Ambo *Melpiniani* nati, quod in *Salentinis* est et unum ex oppidis Hydruntinae dioecesis Graecae originis, et olim etiam ritus, et cuius homines etiam hodie Graece loquuntur. Ambo, et quam maxime *Nicolaus*, inter doctos, eruditosque eius aetatis adnumerati. Sed de Nicolao primum. Hic Graecis, Latinisque litteris, tum et omni eruditionis genere excultus doctissimis quibusque Romae degentibus apprime carus an. *MDLIII* renuntiatus Episcopus statim Melphictum venit. Ea de re clari nominis Vir *Latinus Latinius* quadam in Epistola *Masio* data haec scripsit = Maioranus no-
» ster Urbis deliciis Ecclesiae commoda praetulit, aeque in tuenda et or-
» nanda, ut opinor, totus est. Nam ex quo Roma profectus est, ne lit-
» teram quidem unam ad nos, nec ad quemquam, quod sciam, mi-
» sit = Cum vero litterariis studiis inhiaret, cumque praesertim manum admovisset variantium Lectionum Sacrorum Librorum ex Vaticano Codice collectioni, Romam petiit, ibique, ne sua absentia Melphictensis Ecclesia detrimentum pateretur, id obtinuit, ut successor ei daretur iam dictus ex fratre Nepos *Maioranus Maioranus*, doctus quoque et hic sermones utriusque linguae. E Graeco ipse Latinos fecit Sermones *S. Ephremi Syri*, quos Mss. se vidisse testatur *Ioannes Bernardinus Tafurius*, qui legendus omnino, si quis, quae plura de tanti nominis Episcopis dicenda essent, scire cupiat (1).

Quoniam vero de Maioranis nostris sermo est, non erit fortasse supervacaneum, aliqua hic adnotare ad Epistolam a *Soletanae Ecclesiae* Archidiacono *de ritibus Sacerdotum Graecorum* Orientalium ad Maioranum scriptam. Laudat hanc Epistolam Doctiss. *Fabricius* (Bibl. Graeca

---

(1) In Additamentis ad Toppium etc.

lib. V. cap. *XLI*) his verbis = Soleti Archidiaconi Epistolam ad Maiora» num Melphitae Episcopum, in qua de Sacerdotalibus Graecorum O» rientalium ritibus distincte agitur. Laudat hanc Epistolam Dominicus » Macri in Hierolexico, voce *Epigonation*; sed Epistola illa Italice scri« pta est. Ibidem nonnulla adfert ex Glossario Cabasilae = Hucusque *Fabricius*, qui postremis his verbis se Epistolam legisse satis indicat. Non vero vocabulo tantum *Epigonatium*, sed et alio etiam *Amictus* huiusmodi Epistolae in Hierolexico mentio habetur, eaque autographa servata dicitur in Tabulario Viterbiensis Capituli, immo in Bibliotheca *Latini Latinii* Capitulo Viterbiensi relicta. Quis vero fuerit *Soleti* Archidiaconus, et quod eius nomen, adhuc penitus ignotum. *Tafurius* ipse, alioquin diligentissimus rerum suae Provinciae conquisitor, se ignorasse fatetur. Benevolentia vero hodierni Soletani Archipresbyteri et M. D. *Dominici Carrozzini*, quibus publicas referimus gratias, notum fuit Archidiaconi Scriptoris nomen. Is fuit *Donatus Perrinus*, qui Maioranorum aetate Archidiaconatum eius Ecclesiae obtinebat, et eo potissimum tempore, quo *Soletana* Ecclesia e Graeco, quem secuta fuerat, ritu, ad Latinum transiit. Tunc siquidem *Soleti* viri florebant quam maxime in Graecorum sacris eruditi disciplinis, inter quos praeter *Perrinum* eminebat eiusdem Ecclesiae Archipresbyter *Antonius Arcudius*, qui *Clementis VIII.* iussu novum Ecclesiasticum Cursum in Clericorum Graecorum usum concinnavit, quem ΝΕΟΝ ΑΝΤΟΛΟΓΙΟΝ appellavit. Lis erat tunc acris, atque in Romana agebatur Curia inter *Arcudium* et Capitulum Soletanum, cuius iura Romae *Perrinus* defendebat. Ope vero *Nicolai Maiorani* inita demum concordia fuit anno *MDLXXXIII.* Instrumentumque ea de re confectum haec habet = *In palatio Ill.mi* et *R.mi Domini Aloysii Cardinalis Estiensis . . . . . et in stantiis Ill.mi et Re.mi Domini Nicolai Maiorani Episcopi Melphictensis* = Inde sequitur errasse *Lombardum*, et qui ab illo fortasse accepit, *Tafurium*, qui Nicolaum, Episcopatu abdicato, Mundo, Romae, studiisque quoque valedixisse, reducemque in Patriam, ibi delituisse. Ex hoc enim Instrumento abunde

patet anno *MDLXXXIII* annis scilicet post abdicationem *XVI.* adhuc in vivis fuisse, et Romae, et in Palatio Cardinalis Estiensis degentem, titulumque *Melphictensis Episcopi* ipsum sibi servasse. Ex notulis *Minervini* istud etiam addendum, quadam ex Epistola Cardinalis *Sirleti* in Vaticano Archivo inter eiusdem Cardinalis Schedas servata colligi *Maiorano* nostro, et ut videtur Nepoti, mandatum fuisse, ut quae contentiones, et turbae essent *Altamurae* inter Graeci et Latini ritus Clericos, inquireret, et Pontifici suggereret.

Hic finem de Melphictensibus Episcopis dicendi poneremus, cum de, qui secuti sunt, Episcopis nulla pene Historiographis nostris, et Ughellio in primis ignota sint. Verum aliqua addere placet de aeternae memoriae Episcopo *Ioanne Antonio Bovio Novarae* nato, seu potius *Bellinzogi* Novariensis Territorii oppido, ut a Cl. Tiraboschio discimus, et ex Carmelitarum Familia. Id ut faciamus, iustitiae, et veritatis amor impellit, ac veluti cogit. Fuere siquidem, qui partium studio abrepti eius lacerarunt memoriam, illumque indoctum penitus in sacris studiis hominem traducere non dubitarunt. Nec id tantum, sed et impudentissime venditarunt, defectionis ab unica, quam dicebant, sana doctrina, Iesuitarum patrocinio, Melphictensem Episcopatum, veluti praemium accepisse, quasi non aliunde, etiam seposita celebri *Congregatione de auxiliis* dicta, ipse de Romana Ecclesia, et Apostolica Sede meritus bene fuerit. Notum enim est in ea, quae orta fuit, controversia inter *Paullum* V et Venetam Rempublicam, interdictionis a sacris, *Bovium* pro Pontifice stetisse, eiusque iura typis vulgato longo elaboratoque opere strenue defendisse, ita ut aliis qui ea de re scripserunt, palmam praeripuisse visus sit. Videndi omnino Cl. *Mazzucchellius* (Scrittori Italiani Tom. II. Part. III.) necnon et Cl. *Tiraboschius.* Ut vere quanti *Bovius* apud doctos illius aetatis viros habitus sit, noscatur, ceteris omissis, iuvabit hic eius Elogium a Cl. *Iano Nicio Eritrhaeo* scriptum (Virorum illustrium Pinacotheca) huc adferre. Est vero huiusmodi:

IOANNES ANTONIUS BOVIUS.

Sanctissimum amicitiae vinculum, quo nullum in terris arctius inveniri potest, tunc inexplicabili nodo connectitur, cum illud non ambitio, non cupiditas, sed virtutis amor adstrinxit. Nullum enim gluten ad amicitias conglutinandas tenacius exsistit, quam eorumdem voluntas, societasque studiorum. Nihil est enim virtute pulchrius, nihil amabilius, nihil quod magis ad coniungendas animas valeat. Haec autem cum in F. Ioanne Antonio Bovio Carmelita admirabilis exsisteret, ita Aloysii Cardinalis Capponi ad se animum rapuit, ut eo amicitiae nexu se implicaret, quam, nisi mors, nemo dirimeret. Verum quantae in Ioanne Antonio litterae, quanta vis doctrinae, quanta disciplinarum omnium notitia inesset, ut cetera documenta desiderarentur, illud solum haec prope infinita in eo exstitisse convinceret, quod in tanta doctorum hominum copia, atque ad omnium doctrinarum gloriam efflorescentium Romae praesertim Card. Capponus, quem diximus, acerrimo Vir iudicio, singulari prudentia, admirabili ingenio, et incredibili naturae indole ad liberalissimarum artium studia propensus, eum potissimum elegerit, ut ipso duce, atque Magistro ad ipsos Philosophiae, et Theologiae fontes, quorum antea rivulos sectatus fuerat, perveniret, ibique discendi sitim, qua erat incensus, expleret; nec iis fontibus inventis, ab eius consuetudine divelli, quoad vixit, poterit; tamquam si illa scientiarum flumina, non a magistris atque inventoribus rerum, sed ab illius pectore, tamquam a capite fluerent; ac proinde metueret, ne ab illo divulsus, neque doctissimis illius sermonibus irrigatus, quidquid in ipso facultatis esset, aresceret. Quo sapientissimi Viri iudicio magis, quam aliqua alia doctrinae fama clarius exsistit. Quantum autem illi Paulus *V* tribueret, quantumque in eius ingenii viribus Christianae Reipublicae praesidii constitutum esse arbitraretur, in dubiis illis, ac difficillimis Sedis Apostolicae temporibus declaravit, cum videlicet a sceleratis hominibus libris editis

tamquam mucronibus, Ecclesiasticae libertatis auctoritatisque iugulum peteretur; cumque ab iis, qui quasi tutores fideles ac boni esse deberent, tamquam a nefariis praedonibus eius diriperetur patrimonium dignitatis; ex omnibus elegit, quem contra adversariorum conatus exponeret, quemque in armatas illorum acies immitteret, et qui fortiter coram tela exciperet, repelleret, retunderet. Neque tantam de se Pontificis spem et opinionem fefellit. Etenim duobus libris magno studio, magnoque labore confectis, tamquam armis instructus, singulare cum illo certamen inivit, qui eorum, qui Pontificiam auctoritatem oppugnabant, insaniae non se comitem adiunxerat, sed ducem praebuerat, quique eorum, qui magno invidiae incendio excitati cuncta delere cupiebant, tamquam faces praetulerat. Sed paulo ante singulare suae doctrinae specimen ediderat, tum nimirum, cum gravis de divinae Gratiae auxiliis Dominicanos inter, et Societatis Iesu Patres orta lis esset. Nam cum Clementis VIII voluntas propenso Dominicanorum sententiam animo ferri videretur, magis quam quisquam alius eius properantis cursum retinuit, multisque rationibus inhibuit, ne pro Dominicanis sententiam diceret. Verum tot inter doctrinarum radios, non minus probitatis eiusdem lumen enituit. Nam de disciplina Regulari librum Hispanice compositum in Italicum sermonem transtulit summae animi demissionis exemplo, quod cum in acri, atque attenta rerum maximarum meditatione defixus haereret, ad hanc humilitatem descenderet, qua iis rem gratam faceret, qui arctioris vitae studio flagrarent. At tanta vis virtutis maior erat, quam ut unius Religiosae Familiae claustra tenerent. Quocirca Paullus *V* latiorem illi campum, in quo excurrere posset, aperuit; hoc est Molphetanae Ecclesiae gubernacula tradidit, quae Card. Capponi, a cuius nutu pendebat, accepit; atque in assidua Ovium suarum vigilia, tamquam Pastor bonus occubuit. (*)

(*) *Iani Nicii Erythraei* = Pinacotheca imaginum illustrium virorum etc. Lipsiae *MDCXCII* vol. *I.* pag. 113.

Bulla consecrationis Ioannis Episcopi Melphictensis.

Nicolaus Divina ordinante clementia Archiepiscopus Canusinae Ecclesiae (1) Clerorum Ordini et plebi consistenti in Melphiatana Civitate dilectissimis Filiis, in Domino Salutem. Convenit ea semper, quae fideliter expetuntur, et rationabiliter perhonesta sunt, ut compleantur, et plebium gubernatio praeordinato suffulciatur Pastore, quae sine tali amminiculo titubare videtur incommode. Nunc autem compulit nos illo inspirante, qui nos ad Archiepiscopatum promovere dignatus est cura regiminis earumdem, vestris absque Pastore destitutis Ecclesiis salubri dispositione succurrere, atque alacri devotione eis ordinandis accommodare assensum, quoniam tunc lucri potissimum apud Conditorem omnium praeponitur Deum, quando loca opportuna ordinata ad meliorem fuerint statum perducta. Et quia semper sunt concedenda, quae rationabilibus congruunt desideriis: petentibus vobis Ioannem Episcopum consecravimus, cuius ditioni habere concessimus Civitatem Melfi: cum omnibus Ecclesiis de intus, et de foris, absque illo Monasterio, qui videtur esse foras ipsa Civitate (2) et tenet et dominat illum cum suis

---

(1) *Nicolaus* hic Romulanti Protospatario suffectus in Canusino, sive Bariensi Archiepiscopatu fuit, qui *Romulantes* Bisantio successerat, cui inter ceteras suffraganeas Ecclesias *Melphictensis* non vero *Melphiensis* Ecclesia adsignata. Nicolaus vero cum ad temerarios Michaelis . . . . ausus se se opponeret, Constantinopolim deportatus, suum ibi diem clausit extremum. Quod vero sequitur *Clerorum Ordini*, et *Plebi* exscriptoris certe mendum erit. Legendum fortasse *Clericorum*, ni potius videatur *Clero ut et Ordini*, et *Plebi.*

(2) Quod nomen Monasterio fuerit, non satis liquet. Illud tantum dicitur, quod foras *ipsa Civitate* esset. Cum vero tria tunc temporis extra Melphictum Monasteria essent, scilicet *Ss. Philippi et Iacobi* unum, *S. Salvatoris* alterum, tertium de-

pertinentiis Romualdum fratrem Nandi Episcopi de Civitate Rapulla, et habet ex eo sigillos ex ipsis Catapanis, et ego iam retro tempore obligationem ad illum feci. Quam et concedo tibi Salsulam (1) et locum qui dicitur Sancti Felicis cum omnibus pertinentiis Melfi, eorumque locorum, atque Monasteriis latinis et graecis, et sicut per notorum seriem finium, per quos nunc videtur dominari perenni iure sine contradisione nostra successorumque nostrorum ita intacte habeatur. Quoties autem ibidem Episcopus consecrandus est, semper ab hac Metropolitana Sancta Canusina Ecclesia, cui Deo auctore deservio, consecrationem percipiat. Statuentes ut tu iam facte Praesul, tuique omnes successores, semper sedem in praefata Melfi Ecclesia habeatis, ibique si posse est omnes praecipuas Festivitates celebretis. Atque statuimus ut veniatis ad nos tribus vicibus in anno, quando nostra auctoritate eritis vocati, sive ut missarum nobiscum parati solemnia celebretis, sive ea, quae canonice erimus aucturi nobiscum in omnibus exerceatis absque his dumtaxat festivitatibus, scilicet Pascha Domini et Nativitate eius, ac die festivitatis Sanctae Mariae, et celebratione Sanctorum Ecclesiarum, quae ibi solemniter celebrantur. Promulgantes coram Deo, et futuro eius examine, ut hoc quod ad laudem Dei sancimus, ceteraque hic scripta in nullo parvipendere audeatis. Verumtamen neque nos, neque successores nostri in ipsum vestrum Episcopium aliquid molestiarum sive contrarietatem angustiarum inferamus. Sed quidquid rerum mobilium forte,

---

nique *S. Margaritae ;* si de duobus primis actum fuisset, certe addendum *iuxta litus maris* erat, quo illa vere sita: superest, ut S. Margaritae Monasterium exclusum intelligatur.

(1) *Salsulam.* Est agri Melphictensis locus, etiam nunc *il Salso* dictus, et qui fere *S. Margaritae Monasterio* conterminus est. Inde fortassis factum, ut locus ille cum S. Felicis Ecclesia speciatim designaretur, ne simul cum Monasterio, unum et altera *Romualdo* quoque donata viderentur.

immobiliumque seseque mobentium devotione fidelium in ipsum accesserit, semper in usum eiusdem Sancti Episcopii, vestramque utilitatem, id ad omnem quam indigerit fabricae restaurationem ac luminarium concinnationem, necnon utilitatem omnipotenti Deo ibi laudem referentium proficiat. Nullus sit qui de rebus ipsis, aut eius possessionibus, vel quocumque quod eius iuris pertinere videtur, quoquomodo auferre, vel alienare praesumat, aut quicquam ibi laesionis, ut cumque faciat quatenus ut dictum est quicquid fuerit rerum ad vestram vestrique Episcopii utilitatem, vel necessitatem prodesse per omnia valeat. Liberam habentibus vobis eiusdem Sedis Praesulibus facultatem cuncta possidendi, atque decenter Presbyteros, et Diaconos, atque Cleri inferioris gradus per manus vestras ordinandi, ad praefatum ipsius venerabilis loci usque in perpetuum. De caetero si quis temerario ausu contra huius nostrae praeceptionis seriem, veluti a nobis est promulgatum agere utcumque praesumserit, et ei in aliquo adversari tentaverit, sit anathematis vinculo innodatus, et cum Diabolo, eiusque atrocissimis ac malignis spiritibus aeterno incendio concremandus. At vero qui pio mentis intuitu huius nostri Privilegii conservator exstiterit, benedictionis copiam ab ipso Domino Iesu Christo percipere mereatur. Hanc autem nostri privilegii attestationem firmam stabilemque permanere volentes, scribi iussimus per manus Lademarii Subdiaconi, nostrique Archiepiscopatus Scriniarii, quam et manuum nostrarum conscriptione, et plumbei nostri sigilli vallatione roboravimus; iuxta quod et nobis Dominus Papa fecit, videlicet plumbea vallatione nostrum privilegium cum et subscriptione manuum suarum roboravit. Scriptum mens. Aug. quinta indictione secundo anno Pontificatus sui.

† Nicolaus qui supra gratia Domini Archiepiscopus S. Sedis Canusinae Ecclesiae.

DE ORIGINE ET NOMINE CIVITATIS MELPHICTI.

Quae fuit olim Graecorum indoles, urbes qui suas vel a Diis ipsis, vel certe ab Heroibus conditas venditarunt, ea quoque retro transactis saeculis scriptorum nostrorum fuit, ut etsi non a Diis, ab Heroibus saltem nostras urbes aliquas primitus aedificatas adfirmarent: ex hoc enim et penitioris eruditionis sibi laudem, et urbibus ipsis gloriam maximam accessuram existimabant. Verum nisi ex veritate nulla est gloria. Hinc, ut temporis, quo *Franciscus Lombardus* Melphicti scripsit historiam, mos erat, Urbem hanc a quodam Mauro Ulyssis socio, primitus conditam dixit: quae narratio tam est absurda, ut confutationis non indigeat. Ipse quoque ab Apostolorum Principe Petro Christi fidem suscepisse scribit; qua in re aliorum prope omnium, qui de his nostris Urbibus scripserunt, socius fuit. Sane a Petri discipulis eiusque asseclis quin fides Christi sanctissima in has fuerit invecta regiones, nemo dubitabit = Fides vestra (ait Paullus ad Romanos) annuntiatur in universo mundo = Quod si in universo mundo, cur non in Provinciis, ut postea fuerunt appellatae, *Suburbicariis*? non statim quidem per civitates singulas fortasse coadunatae Ecclesiae fuerunt, nec statim Episcopales erectae Cathedrae omnes ab ipso Petro, sed a proximis eius successoribus et Religio sancta dilatata fuit, et Ecclesiae coadunatae, et constituti per Civitates Episcopi (1). Lombardus quoque ut Melphicti anti-

(1) Mirum est viros ceteroquin doctos, et Ecclesiasticarum rerum haud ignaros, illo in errore fuisse, ut existimarent his nostris in Regionibus Sedium Episcopalium, ut aiunt, multitudinem Graecorum Patriarcharum partim, partim etiam Romanorum Pontificum ambitioni tribuendam esse; ex eoque sibi persuaderent plurimas Episcopales sedes recentioris, haud vero antiquissimae originis esse, eaque ad tempora, quibus Latinos inter et Graecos dissidium ortum, barbaricis scilicet saeculis esse referendas. Istud etiam ex

quitatem magis probaret, eam olim paganicis ante Christi tempora ritibus addictam, argumentum ex eo deduxit, quod Melphictensi in agro locus esset *Vienere* appellatus, ex cultu ibidem Veneri praestito. Haud certe ab impudica *Venere* nomen, quod etiam retinet, loco datum, sed a *S. Venera* sive *Parasceve* (nam eadem esse dicitur) cuius etiam nomen in Kalendario Missalis nostri MS., licet alia, at vero antiqua manu, adiectâ legitur. Non vero, quae multa fabulosa sunt in nostrae Urbis Historia, ea scriptoris optimi vitio tribuimus, sed aetati potius, qua ille scripsit, cum plurima antiquitatum monumenta postea detecta, et vulgata, tunc deessent. Praestabit igitur rem totam ab integro tractandam assumere.

Quae plurima, nostra etiam aetate, sepulcra antiqua effossa prope veteris urbis moenia, et illic praesertim ubi antiquum nunc assurgit suburbium, et in ipsis inclusa sepulcris fictilia vasa, nec rudi tantum opere elaborata, sed eleganter etiam picta, quae vulgo *Etrusca* vocantur, melius forsan *Graeco-Appula*, vel *Graeco-Italica* dicenda, et quorum aliqua nos vidimus, aliis misere venditis vel donatis, satis indicant, loco, quo nunc Melphictum iacet, antiquitus sive Civitatem aliquam, sive

---

eo confirmari illis videtur, quod plurium Thronorum Episcopalium nulla Ecclesiasticis in monumentis notitia reperiatur. Qui vero ex historia didicerit, quae miseranda plura per saecula Apuliae et Iapygiae facies, et quorum bellorum Theatrum regiones istae fuerint, quae interneciones, quae populationes, quae depraedationes, incendia, ruinae, a Longobardis, Graecis, Saracenis, Normannis ceterisque barbaris; is profecto haud mirabitur Ecclesiarum nostrarum monumenta deperiisse, ex quibus Episcoporum series per singulas Civitates agnosci posset, maxime cum Ecclesiae ipsae diro Graecorum schismate vexatae essent. Non vero inficiabimur aliquos in regionibus praedictis Episcopatus recentius constitutos esse. Ea enim humanarum rerum conditio est, ut quae Civitates maxime quondam florebant, deinde desertae fierent, et quae ex humiliorum pagorum statu ad Civitatum gloriam evectae fuerint, ut inde a desertis Urbibus in novas transferrentur Episcopales Sedes. Id vero non sedium numerum au-

Oppidum, aut Vicum, vel denique conventum hominum qualemcumque fuisse, necnon et fortasse extra Urbis, sive Vici muros publicam olim stratam fuisse viam. Quod vero sic ex effossis antiquitatis reliquiis indicatum, illud etiam ex antiquis *Itinerariis* plane confirmabitur.

Itinerarium Antonini vulgo dictum, quo loco describit *Iter Flaminia ab Urbe per Picenum Brundusium usque* haec designat loca:

AVFIDENA
RESPA XXIII
BARIO XIII

Ex his igitur colligitur Flaminiam viam e supero mari, scilicet Hadriatico, ut Cicero ait, per *Aufidum* (is est enim *Aufidena*), *Respam*, *Barium* transcurrisse, necnon et ab *Aufido Respam* XXIII Milliariorum spatio distantem fuisse, ut et *Respam* inter et *Barium* XIII milliaria intercessisse. Illud vero praemittendum, Romanorum antiqua milliari paullo minora hodiernis nostris fuisse, ut eruditis omnibus est notum. Est et aliud adnotandum in Apulia sic proprie ab incolis dicta, et quae Trani ab Urbe incipit et per Orientem excurrit milliariorum vulgarem existi-

---

xit, sed servavit. Anne vero (nam de nostris regionibus nobis sermo est) Canusium, Ausculum, Venusium, Salapiam, Sipontum, Argyripam, Luceriam, Rubos, Butuntum, Barium, Tarentum, Brundisium, Orram (*) Hydruntum, Uxentum, Neritum, aliasque, quas praetermittimus, nobilissimas olim Urbes propriis caruisse Episcopis vel ab Ecclesiae initiis adfirmabimus? Hac vero de re ab Eruditis nostratibus tractationem pleniorem expectamus.

(*) *Orram* dicimus, quae alias *Hyrium* hodie *Oria* in Salentinis. Nos, ut sic diceremus, docuerunt auctoritas primum doctissimi Episcopi Kalefati, tum et innumera propemodum numismata, quae illic passim effodiuntur, et quae vidimus.

mationem, si ad alia comparentur, erroneam esse; quippe quae longiora sint. Res est nostratibus omnibus nota. Hinc quamvis sex numerentur vulgo Trano Barulum milliaria, revera sint octo, et quae tria Barulo ad Aufidum fere sint saltem IV. His porro praemissis, satis innotescet, quo nunc Melphictum est loco, illo quondam *Respam* fuisse (1). Quamvis enim XVIII milliaria Melphictum inter et Aufidum vulgo hodie interesse existimentur, vere tamen propemodum XXII sunt, ita ut XXIII Romanis plane respondeant. Quod vero Respam inter et Barium in Itinerario milliaria XIII fuisse dicuntur, eadem nunc, nova strata via, numerantur, cum antea XV numerarentur. Merito hinc veteris Geographiae insignis cultor *Islaeus*, et *Mazochius* noster doctissimus in Antiqua Italiae Tabula, *Respam*, ubi nunc Melphictum, posuerunt.

Rem vero totam turbare *Peutingerii*, quam dicunt, *Tabulam*, primo videbitur intuitu. In hac enim itineris per Flaminiam sive *mansiones* sive *mutationes* designantur hoc modo:

FLVMEN AVFIDVS
BARDVLIS VI
FLVMEN AVELDIVM
TVRENVM IX
NATIOLVM VI
BARIVM IX

Plura vero observanda veniunt, quae hoc loco corrigendam esse *Tabulam* declarabunt. Quod Barduli (hodie Barulum, de quo alias) ab

---

(1) Si a Parisiensi Meridiano Longitudinum rationes supputare placebit, profecto invenietur, milliaria XVIII Barulum inter et Melphictum; et quod amplius excurrit, intercedere Bardulum inter et Melphictum, patebit. Quibus si milliaria circiter *IV*. quae Bardulo ad Aufidum sunt, addantur, evidens erit, *Respam*, quo nunc Melphictum iacet loco, olim fuisse sitam. Videatur doctissimus vir, et quem honoris caussa nominamus Ferdinandus Vicecomes, *Atti dell' Accademia delle Scienze* Vol. II. Par. I. Napoli 1825.

Aufido per milliaria VI, et Barduli *Tureno* (hodie *Tranum*) per IX distare ponantur, nil moramur. Eadem propemodum est hodie harum urbium distantia, unde ex hoc etiam, quae supra diximus de distantia *Respae* ab Aufido, confirmantur. Cum vero *Natiolum*, quod certe hodiernum est *Iuvenacium*, ad *VI Tureno* lapidem ponatur, id prorsus mendosum erit. Non enim VI sed XII; et hodierna, quae antiquis maiora sunt, milliaria *Tirenum* inter et *Iuvenacium* numerantur. Contra vero et hodie *Iuvenacio Barium* IX circiter milliariorum iter est.

Clariss. Dominicus Forgesius (1) primus advertit, laudatus propterea ab Erudito Dominico Romanellio (2), in *Peutingeriana* Tabula ex descriptoris incuria nomen *Respae* deesse. Unico enim in Tabula illa exemplo lineola conspicitur ducta non adscripto, ut assolet, loci nomine. Nec id tantum de scriptoris negligentia factum, sed cum ipse lineolae, cui *Respae* nomen imponendum erat, *Natiolum* adscripsisset, noluit fortasse scriptum delendo Tabulam corrumpere. Quod si hoc modo corrigatur Tabula:

FLVMEN AVFIDVS
BARDVLOS VI
FLVMEN AVELDIVM (3).
TVRENVM IX
RESPA VI
NATIOLVM III
BARIVM IX.

Omnia plana erunt, et antiqua hodiernis prorsus similia. Quod si id, quod posteriori loco observavimus, Cl. Forgesius adtendisset, *Respam*

(1) *Dello stato imperfetto della Geografia antica*, inter Acta Societatis Pontanianae Vol. I. Neap.

(2) *Antica Topografia Istorica del Regno di Napoli. P. I.*

(3) Pluribus abhinc retro annis cum Commentariolum (Del Tofo Trancse, Atti

non *Barium* inter et *Iuvenacium* frustra quaesivisset. Quod si haec loca, ita ut ipse opinatur, sita fuissent, Itinerarii Antonini fides tota rueret. Non enim milliaria *XXIII* ab Aufido Respam, sed pene *XXX*, nec Respa Barium *IX*, sed vix aut ne vix quidem *VI* numerata fuissent. Melius Clariss. Romanellius, qui non alibi, quam in vicinio *Melphicti Respam* quaerendam, ponendamque fassus est.

Qua vero ex caussa factum, ut, cum cetera, quae memoravimus, Oppida, antiquum, vel ab antiqua *Parce* detortum retinuerint nomen (1) *Respa* in *Malphitam* seu *Mulfitam* (hoc enim fuit antiquum Melphicti nomen) mutata fuerit, id a nobis, qua fieri poterit, diligentia examinari operae pretium erit. Quamvis vero vel libentes fateamur, certa deesse monumenta; ex iis tamen paucis, quae temporum vicerunt calamitates, ea saltem quae vero proximiora videbuntur, veluti derivare licebit.

Ex eo igitur primum coniecturarum filum ducere placet, quod in antiquis Melphicti Statutis Legibus, quae *Capitula* vocabant, legitur. In his quippe praecipitur ut *Amalphitani* ex antiqua, ut dicitur, consuetudine velut cives *Melphictenses Melphicti* haberentur in omnibus, ex eo, quod eodem modo *Melphictenses Amalphiae*, ut *Amalphitani* cives habebantur. Istud porro *Amalphiam* inter et *Melphictum* communionem aliquam olim sive foedus aut Societatem aliquam intercessisse plane probat (2). Ulterius vero progrediendum.

della Società Italiana delle scienze Tom. XIV.) scriberem, Tophum illum ab aquis Fluminis alicuius, vel Lacus depositum olim fidenter dixi. Lectis postea Itinerariis veteribus, quod suspicabar, historicis etiam monumentis confirmari fuit gratissimum.

(1) *Iuvenacio* hodierno excepto, quod non parce, sed multum ab antiquo *Natiolo* detortum. Id fortasse a Graecis factum. In Diplomate enim anno *MLXXXIII.* a *Calogyri Catapano* Apuliae Episcopo Tranensi dato, quod Claris. Assemannus refert (de Reb. Neap. et Sic. Cap. X. tit. III.) *Iuvenacium* Graece legitur sic Γυβιναζανον. Hodie quoque vulgo dicitur *Giuvenazzo*, e *Givenazzo*.

(2) Simile quid habetur in Privilegio a Neapolitanis anno MCXC Amalphitanis dato = ut sicut ista Civitas Neapolis privilegio libertatis praefulget; ita et vos nego-

Nullis certe probari monumentis potest ante Christum natum, vel primis etiam Ecclesiae saeculis Amalphiam stetisse; certum tamen est S. Gregorii Magni aetate *VI.* videlicet saeculo non conditam tantum fuisse, sed et Episcopali etiam Cathedra ornatam. Id et ex eiusdem S. Gregorii Epistola Mense Ianuario Indictione *XIV* data, et quae a Gratiano quoque relata fuit (Caus. VII. Quest. V.) plane liquet. In ea enim *Pigmenius* reprehenditur *Amalphitanae* Ecclesiae Episcopus, quod sua residere in Ecclesia negligeret. Nec vero *Pigmenius* primus *Amalphiae* Episcopus habendus erit; id etenim S. Pontifex expressis verbis dixisset. Ni aliqua autem praeter naturalem, usitatumque rerum cursum ordinemque adsignetur caussa, nullo intelligi poterit modo, unde, mox fere ut condita *Amalphis* tanta statim hominum frequentia aucta fuerit, ut ei proprius constitueretur Episcopus. Amalphitanum Chronicon fortasse rem totam aperiet.

Illud fuit Chronicon a Claris. Muratorio primum editum, deinde a Claris. Pelliccia recusum. Quamvis vero in huiusmodi Chronico aliqua viris eruditis a vero aberrantia legi visa fuerint; ita tamen nos comparatos fatemur, ut *ubi plura nitent, paucis non offendamur maculis.* Haec autem sunt, quae in antedicto narrantur Chronico *Nova a Constantino magno condita Roma, cum multitudo Procerum Romanae gentis* (1) *pro-*

---

tiatores, Campsores, sive Apothecarii in perpetuum gaudeatis, ut nulla conditio (Peregrinius legit *Condictio*) de personis et rebus vestris, sive heredum et successorum vestrorum negotiatorum in Neapoli habitantium requiratur, sicut non requiritur de civibus Neapolitanis. Si cui patientia non desit, quamplurimas, quas ex Amalphiae Archivis vulgavit, chartas legendi, hasque cum Melphictensibus Tabulis conferat, is profecto inveniet quamplura familiarum nomina inter utramque civitatem fuisse, et esse. Longum texere catalogum piget.

(1) *Procerum*. An fortasse istud scriptoris nimio erga Patriam amori tribuendum? Non equidem Proceribus Romanis ex uno Naufragio funditus omne deperditum fuisset patrimonium, ut Constantinopolim nec maritimo, nec etiam pedestri itinere petere potuissent. Similius vero videtur, quamplures Romanos Romanisque fini-

deraret ire in Constantinopolim, accidit, ut maris tempestate dispersis navibus, quas ascenderant, duae Ragusium *ad partes Sclavoniae* appulerint, ibique qui e naufragio salvi sedes primum suam fixerint. Cum vero labente tempore simultates novos inter et antiquos regionis incolas ortae essent; iterum illi navigantes *ad partes Italiae applicuerunt ad locum, qui dicitur Melphium* (1). *Ad quem locum* cum pervenissent, *manserunt ibi longo tempore. Italia vero cum opprimeretur diversarum gentium potestatibus, locusque Melphii esset parvus et vilis*, deserentes *Melphium pervenerunt usque Ebulum*, et sic postea *Amalphim* condiderunt. Cum vero *Melphium* dicatur, facile quis de *Melphio* Lucaniae Urbe hic agi crediderit. Quod si paullo accuratior adhibeatur investigatio, non omnino de *Melphio*, sed de hodierno *Melphicto* hic agi deprehendetur.

Quo tempore *Melphia* primum condita fuerit, non satis inter eruditos constat. Non contemnendi nominis Scriptores sunt, qui eam a Nortmannis, multo tardius scilicet fuisse aedificatam arbitrati sunt. Eorum vero sententiae accedere minime in animo est, quin potius verosimilius putamus a *Melpho* Apuliae Catapano prius extructam, deinde valide a Nortmannis munitam, Regionisque caput, et peculiare adversus hostes fortissimumque munimentum factam. Anne vero *Ragusio* navigantes, ut optime etiam noster observavit Lombardus, *Melphium* in Mediterranea

---

timos, eorumque familias cuiuscumque ordinis barbarorum motibus primum, deinde et incursionibus territas, quinto maxime ineunte saeculo alia in loca securitatem quaerentes, navigasse. Id etiam saeculo IV. exeunte coeptum. Legatur Epistola S. Ambrosii Severo Episcopo, utique Neapolitano scripta.

(1) Qua de caussa Cl. Pelliccia in Dissertatione Tom. V Chronicorum Regni Neapolitani praefixa pro *ad partes Italiae* substituerit *ad partes Lucaniae*, et pro *ad locum qui dicitur Melphium* posuerit *Melpam flumen*, penitus ignorare fatemur. Longa sane navigatio fuisset *Ragusio ad partes* Salernitanae Urbis, quippe quae per Hadriaticum, Ionium et Siculum quoque mare explenda fuisset, satius commodiusque fuisset Constantinopolim ipsam, vel maritimo, vel pedestri etiam itinere adire.

regione positum pervenire poterant? Sed nec *Melphium parvus et vilis locus* fuisset appellatum quod scilicet inter montes, et collis cacumine situm est, ita ut muniri facile esset. Contra vero quo *Respa* primum, postea *Melphictum* revera in planitie, et maris ad oram situm est, et quod muniri nullo modo posset: hanc enim significationem vocum illarum esse pro certo habemus. Nec illud morari nos debet quod locus ille non *Respa* sed *Melphium* a Chronista dicatur. Ille utique nomen usurpavit, quo, cum scriberet, appellabatur. Sic et *Ragusium ad partes Sclavoniae situm* dixit, tempore utique quo Auctor scribebat. Denique non *qui dicebatur Melphium*, sed, *qui dicitur*, Chronista scripsit.

Quod vero maxime narrationem Amalphitani scriptoris confirmat, et nominis *Amalphiae*, sive *Malfae*, (et hoc nomine etiam antiquis a scriptoribus appellata legitur) originem, et una quoque caussam mutationis nominis *Respae in Malfitam*, quasi diceretur *parva Malfa* indigitare videtur, illud est, quod a Mercatore Ragusino, cui certe non bono mentiri fuisset, primum accepimus; ad *V* scilicet Ragusio lapidem in ora maris oppidum quondam insigne exstitisse, et nunc etiam exstare, quamvis non sic ut antea habitatoribus frequens nomine *Malfa*, eiusque olim incolas maximam tamquam fortissimorum, praesertim in maritimis bellicis expeditionibus apud exteras quoque nationes famam habuisse. Ragusini hominis testimonio accessit deinde, quod in antiqua *Tabula maritima* Sinus Hadriatici anno *MDCCCII* ab Archangelo Sartorio Anconae recusa, et quam, dum haec scribimus, ob oculos habemus, prope Ragusium, et in ora maris in qua tuto subsistere anchora possit, *Malfa* ponatur. Denique et idem datis literis confirmavit nobis Regis nostri, quem Deus sospitet, agens in rebus Ragusiae. Contra Melphictum ad Eurum iacet, nec ab uno ad alterum locum longa est navigatio, milliariorum quippe 150 circiter, ita ut prospero flante vento, vel unius diei spatio confici possit. Hinc merito videntur ad fabulas omnino reiicienda esse, quae de *Amalphiae* sive *Malfae* nomine, quasi a *Melpha* sive *Molpa* Lucaniae flumine, derivatum fuisset. Hinc patebit etiam, unde factum sit, ut quae *Respa* erat in

Malfitam verteretur. *Malfa* scilicet, *Respam* advenientibus, et hanc habitantibus, quasi novam *Malfam* appellare placuit, quae deinde, cum maior fortasse *Malfa* sive *Malphia*, vel *Amalphia* condita fuit, diminutive, quo una distingueretur ab altera, fuit dicta. Neque vero existimandum est, cum, qui *Malfa Ragusina Respam* venerant, novas sedes transferre decrevissent, omnes pene, *Respam*, quam *longo tempore habitaverant*, ita ut multorum vere Patria esset, deseruisse. Nec enim ita natura homines sunt comparati, ut natale solum, et antiquos concives cum quibus assueverant, quibusque matrimoniis etiam erant coniuncti, tum et sepulcra maiorum facile relinquant. Novum hinc *Malfae* sive *Malphitae* nomen *Respae* datum mansit, et hinc fortasse orta primum communio sive societas eos inter, qui *Amalphiam* condiderunt, et qui antiqua in Sede *Respae*, sive *Malfitae* manserant. Cum vero temporum tractu *Amalphitanae* res in immensum prope crevissent, et eius Cives Mediterraneum mare Venetorum, et Genuensium aemuli suis replevissent ad commerciorum magnam vim exercendam navibus (1) tunc magis inter *Amalphitanos* et *Malfitanos Ragusinos* (sic enim ad distinctionem dicere libet) colligata societas, quippe hi commodius per Hadriaticum Sinum merces exportandas inferendasque, ab Oriente susciperent. Nec enim

(1) Iuvabit hic versus quosdam *Guillelmi Appuli* de Amalphia scribentis adferre;
Urbs haec dives opum, populoque referta videtur.
Nulla magis locuples argento, vestibus, auro
Partibus innumeris. Hac plurimus in urbe moratur
Nauta, maris caelique vias aperire peritus.
Huc et Alexandri diversa feruntur ab Urbe
Regis et Antiochi. Gens haec freta plurima transit,
His Arabes, Indi, Siculi noscuntur et Afri.
Haec gens est totum prope nobilitata per orbem
Et mercando ferens, et amans mercata referre.

alia poterit caussa designari antiquissimae *Amalphitanos* inter, et *Melphictenses* societatis, quae vel ex antiquis nostris monumentis, de quibus supra, liquet. *Amalphitani* siquidem plurimas quondam mercatorias Stationes in Oriente, Constantinopoli praesertim et Alexandriae, ut et Neapoli, Tarenti, et Panormi etiam in Sicilia, et aliis plurimis in locis habebant, ut legere est apud *Brechmannum* (de Rep. Amalph.) et *Laurentium Iustinianum* nostrum (Diz. Geograf.), quem alias emendandum esse existimamus, quod pro *Melphicto Melphium* ex Anonymo Salernitano induxerit, quasi ibi *Amalphitani* mercatores habuissent stationem. Nec enim satis intelligi datum, *Amalphitanos Melphium* mediterraneam urbem ad maritima commercia exercenda sibi adscivisse. *Melphium* vero temporibus illis Hebraei habitabant commercii certe exercendi caussa, ut inferius opportunior erit dicendi locus. Contra vero *Melphictum* olim maris commercio floruisse, et *Melphictensium* per Orientem plurimam, frequentemque navigiis propriis navigationem, quae nostra supersunt, monumenta testantur, eaque maxime docent nostros Alexandriam versus, quae olim Indicarum mercium maximum erat emporium, navigasse. Hinc frequentissima antiquis in Chartis nostris *Comitum* sive *Comitorum*, qui navigiorum scilicet rectores erant, mentio (1). Illud quoque observandum venit in Barensium Navigiis S. Pontificis Nicolai exuvias anno *MLXXXVII.* portantibus quamplurimos legi Tranenses homines, ita ut

---

(1) Illud saeculo *XIII* erat nostro in Regno statutum, ut maritimae Urbe Provinciae Peucetiae praesertim Triremem unam armis quoque instructam Regis ad imperium in bellicis expeditionibus subministrarent. Hinc, exceptis Bario, Trano, et Monopoli, quae duas, Vigiliae, Melphictum, Iuvenacium, et Polinianum unam tantum quaeque suppeditare tenebatur (Vide *Forgesium* Disser. sulla seconda Moglie di Manfredo). Melphictenses vero non Triremem tantum propriam armatam expensis praebebant, sed et naves etiam onerarias Regiae Classi locabant, ut plura docent nostra illorum temporum monumenta.

an hos possidere illas iustum esset, lis exorta fuerit, ne unum quidem legi *Melphictensem* civem: quae res indicare videtur, tunc temporis propria habuisse navigia Melphictenses, propriumque exercuisse commercium. Non inficiabimur equidem Tranum quoque maris commercio admodum floruisse olim. Id enim abunde patebit ut aliis ex monumentis, sed maxime ex Edictalibus maritimis Legibus Trani a Nobilibus viris maritimarum Rerum Consulibus *Bramo de Brandi*, et *Rogerio*, anno *MLXV* latine datis, et quas anno *MDLXXXIX Firmi* in Piceno Italice redditas amicus quidam nobis indicavit, excusas. Fortasse vero, qui Tranum migrarunt, Hebraei, Tranensium turbare commercium, et ii etiam utpote ad fraudes proni, Edictalibus illis legibus occasionem dedere. Dolet vero illas legere non potuisse.

Et quoniam ad Hebraeos devenimus, aliqua ad res nostrarum Regionum pertinentia ex Itinerario Hebraei *Beniamini* a *Tutela* Hispaniae urbe excerpere lubet. Vir iste saeculo *XIII* Hebraeos omnes per varias dispersos nationes numeraturus, peregrinationem suscepit, et *Trani* quidem *CC* fuisse scripsit, *Malfe* quae certe *Amalphia* est *XX*, *Malchi* (sic) vero *CC*, *Bardenis X*. Diximus *Malfam* esse *Amalphiam*, at quae vero urbs sit, quae *Malchi* dicitur, in incerto erit, quamvis fortasse pro *Melphio* posita videatur. *Melphii* namque et *Labelli*, et *Rapollae*, quae ei finitima sunt oppida, plures olim habitasse Hebraeos, eorum sepulcrales tituli ibi effossi testantur. Hos *Dominicus Tata*, adiecta etiam latina versione, edidit (Del Monte Volture). Nos quoque aliquot retro annis plures sepulcrales huiusmodi titulos Hebraicis uncialibus litteris sculptos prope Tranum effossos vidimus; qui an servati fuerint, vel potius male perditi, ignoramus. Denique quod in antedicto Itinerario dicitur *X* fuisse Hebraeos *Bardenis*, etiam incertum erit utrum ad *Barium*, an vere ad *Bardulum*, sive *Barolum* pertineat, quamvis e nominis analogia ad *Bardulum* referri posse videatur. Denique ne ceteras Apuliae et Iapygiae urbes praetereamus, *Asculi*, utique *Appuli*, Hebraeos *XL* numerat Beniaminus; *Tarenti CCC*

Hydrunti denique *D.* Haec ideo adiicimus quod nostram illorum temporum historiam illustrare posse censemus.

Quamvis denique, quae plura, eaque satis probabilia adduximus argumenta ad nominis *Respae* in *Malfitam* sive *Melphictum* mutationis caussam demonstrandam, non plane omnino id efficere videri possint, illud pro comperto habendum erit Via in Flaminia olim *Respam* exstitisse, eo potissimum loco ubi *Melphictum* iacet hodiernum. Nec nominum diversitas certitudinem hanc evertere ullo modo poterit, cum ubique terrarum, et nostro maxime in Regno et Provinciarum, et Urbium mutata fuisse nomina, ut iis quoque, qui vel a limine veterem novamque Geographiam salutarunt, notum est. Sed haec hactenus.

FINIS I. PARTIS.

INDICULUS EORUM,

QUAE

IN HAC I. PARTE CONTINENTUR.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA

PER

LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Vista la dimanda della Vedova Reale, e figli, con la quale chieggono di voler stampare l'Opera intitolata = *Kalendaria Vetera MSS. Aliaque Monumenta Ecclesiastica etc.* dell'Arciprete D. Giuseppe M.a Giovene;

Visto il favorevole parere del Regio Revisore Sig. D. Girolamo Parroco Pirozzi;

Si permette che l'indicata Opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver conosciuta nel confronto uniforme la impressione all'Originale approvato.

Il presidente M. COLANGELO.
Pel Segretario Generale — l'Aggiunto — *A. COPPOLA*
Per copia conforme
Pel Segretario Generale, e membro della Giunta
L'Aggiunto
ANTONIO COPPOLA.

ERRATA			CORRIGE
Pag. I	v. 10 adnexo		adnexum
IV	v. 10 quibus illa sunt, exarata		quibus illa sunt exarata
XI	v. 7. Ενχειριδιον		Εγχειριδιον
XX	v. 6. = D.s S.s V Γ c yes		D.s h.s V lec. tres
XXII	ad VI id.	adde	Claves Pasche
XXIX	ad V Non. D.s H.s E		D.s h.s C.
2	v. 14. legantur Codex		legantur. Codex
22	v. 17. et prisca		ex prisca
60	v. 12. que		quae
54	v. 9. Patriarchas		Patriarcha
57	v. 22. Fra-res		Fratres
71	v. 26. Virtutem. Christi		Virtutem Christi
81	v. 14. Auctorum		Auctorem
119	v. 18. igem		ignem
ibid.	v. 28. hahere		habere
134	in fine = reversus		reversa-rum
198	in nota v. 12. dedicationis		dedicatione
ibid.	in Inscript. PARCET		PARCAT
203	etate		aetate
204	vicurus		victurus
206	ΑΝΤΟΛΟΓΙΟΝ		ΑΝΘΟΛΟΓΙΟΝ
219	ad 220. v. 1. proderaret		properaret
220	v. 3. sedes		sedem
223	in prima lin. Notae. Urbe		Urbes

